

Nr. 18.

AVGVSTI HERMANNI

FRANCKII,

S. THEOL. QVONDAM PROFESSORIS ORD.
PAST. VLRICIANI. ET GYMNASII
SCHOLARCHAE

MEDITATIO

DE

GRATIA

ET

VERITATE.

AD DVCTVM

S. SCRIPTVRÆ

OLIM GERMANICE EDITA
IAM LATINE VERSA,

IO. HENRICO GRISCHOVIO,

HALBERSTADIENSI.



HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis & impensis Orphanotrophei eis 1000 XXXIX.

AVGUSTI HERMANNI

HRANCI

SCHOOL OF THEOLOGY OF THE CHURCH OF THE ORD
LAST ATTACHED TO THE CATHOLIC
SCHOLARLY

MEDITATIO

יהוה

רְכָב

חֶסֶד וּמֵתֶה

Exod. XXXIV, 6.

IESVS CHRISTVS

Multus ac plenus

Gratia & Veritate

Io. I, 14.

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE



HAIE MAGDEBVRGICAE

ALIAS S. Iosephi Quidam deputatus in hac re


OMNIBVS AC SINGVLIS
IN CHRISTO IESV, FRA-
TRE NOSTRO PRIMOGENITO, IPSIVS;
QVE IN SANGVINE, QVEM PRO NO-
BIS VNIVERSIS FVDIT,

HONORATISSIMIS ET DILE-
CTISSIMIS, TAM IGNOTIS DE FACIE
QVAM NOTIS ET COGNITIS

AMICIS ET FAVI-
TORIBVS SVIS
IN REGIA BEROLI-
NENSI,

EX PLENITUDINE DOMINI
NOSTRI IESV CHRISTI OMNES DIVI-
NAE GRATIAE ET MISERICORDIAE
DIVITIAS, COMPLETASQVE SPIRITVS
SANCTI VIRES AD DECERTANDVM
PRAECLARVM FIDEI CERTAMEN ET
APPREHENDENDAM VITAM
AETERNAM, PRE-
CATVR

AVGVSTVS HERMANNVS
FRANCKIVS.



FAVTORES
ET AMICI IN CHRI-
STO CARISSIMI.



Am a com-
pluribus in-
de annis
Deus O.M.
pro indul-
gentissima voluntate sua
ci-

DEDICATIO.

civitati vestræ adeoque &
Vobis, qui eam incolitis,
abundantissimam grati-
am, uti in multis rebus
aliis, ita etiam, & maxi-
me quidem, in hoc exhi-
buit, quod multos Vobis
doctores misit pereosque
diuinam gratiam suam
curauit adnuntiandam.
Quotquot ab hac extensa
Dei viui manu apprehensi
& a tenebris ad lucem
conuersi estis, de hac gra-
tia conuictos Vos esse per-
suasus sum & intelligere,
quod diuinæ maiestati
submississimas gratias pro
a 3 hoc

DEDICATIO.

hoc ipso beneficio debeatis. Neque dubito, quin in ciuitate vestra non mediocris sit numerus eorum, qui cuiuis libere fasfuri sint atque etiam professuri, quod præteritis temporibus varia autem perambulando ex arbitrio carnis vixerint, postea vero, audita una alteraque concione vel priuatim etiam admissa compellatione & conscientiæ concusfu, excitati & in rectiorem viam reducti sint.

Optandum erat, ut diuinus doctorum, a Deo

hoc

vo-

DEDICATIO.

Vobis datorum , zelus
apud omnes, qui eos au-
diuerunt , eumdem exo-
ptatissimum fructum ha-
buisset. Iam vero Domi-
no Deo nostro , gratiam
vrbi vestræ suam offeren-
ti, idem vsu venit, quod
proh dolor ! ipsi apud
plerosque mortales vsu
venire solet. Multienim
tam luculentam verbi
pœnitentiæ & fidei ad-
nuntiationem pro adeo
immerita , magna & inef-
fabili indulgentissimi Dei
gratia haud habuerunt
nec acceperunt ; immo

a 4 ve-

DEDICATIO.

vero ex illis etiam, qui id omnino fecisse sibi visi sunt, non pauci ad tempus tantum in isto lumine exsultare, præclaros sermones laudare, at in profanæ mentis securitate simul persistere voluerunt. Paucissimi sapientiæ & lucis veri filii facti sunt; & quod omnium longe est tristissimum, multi, qui vias ad perniciem vitare inceperant, DOMINO non manserunt fideles, sed cum Deme præsentis sæculi amore denuo capti sunt. Alii supra docto-

-3V

4 S

res

DEDICATIO.

res suos, ut supra *Pau-*
lum Corinthii, intempe-
stive sapuerunt inuale-
runtque, quando non
aliis tantum filiis Dei, sed
ipsis etiam fidis doctori-
bus suis temere obtrecta-
re coeperunt, trabem in
luis ipsorum oculis mini-
me conspicati. Qui vias,
per quas pro lubitu seruos
suos ducere sibi reseruauit
Deus, non satis perspe-
ctas habentes, iudicare
eos non erubuerunt, quos
tamen tamquam patres
suos honorare debebant,
& a quibus efficaces &

a 5 in-

DEDICATIO:

indefessæ preces pro ipso-
rum animabus, ne peri-
rent, ad Deum factæ
funt.

Hinc etiam Deus fido-
rum seruorum suorum a-
lium post alium opinione
citius ex hac vita migrare
iussit, quo ipso seruis suis
non fecit ægre. Nam beati
sunt presbyteri, qui viam
sunt emensi & diem obie-
runt, qui que perfectam &
fructuosam dissolutionem
consequuti sunt; non enim
verentur, ne quiseos de lo-
co, in quo constituti sunt,
deiciat & in aliud trans-
fe-

DEDICATIO.

ferat; quemadmodum
CLEMENS ROMANVS
ep. I. ad Corinth. §. XLIV.
scite scribit. Sed Deus
potius, posteaquam tan-
ta vſus fuit misericordia,
ad nimaduersionis ſuæ in
ingratos, qui remanfe-
runt, feueritatem voluit
demonſtrare. Contem-
toribus quidem hoc parui
momenti eſſe videtur; ve-
niet autem dies, quo
Deus omnium verborum,
quæ per ſeruos ſuos con-
ſcientiis eorum propo-
nenda curauit, & quæ
iſti adſpernati ſunt ex ani-

mo-

DEDICATIO.

moque eiecerunt , ratio-
nem exposcet.

Vos autem, Dilecti &
Carissimi in DOMINO,
quorum in cordibus ver-
buin Dei locum inuenit &
tamquam in agro bono &
foecundo fructus protu-
lit, aliam prorsus mentem
geritis , & tot casibus,
quos Vobis Deus alium
post alium immisit, sine
dubio adhuc consternati
estis & obstupidi. Du-
riora Vobis a Deo tributa
esse existimatis , quod
paucorum annorum in-
teruallo tot fidos docto-
res

DEDICATIO.

res Vobis eripuit, qui Vos
pauerunt, non inuiti sed
sponte, non turpiter adfe-
ctantes lucrum, sed ala-
cri animo, neque ut Vo-
bis imperantes, sed ut
qui exemplo Vobis fue-
runt in sermone, in con-
versatione, in caritate, in
spiritu, in fide, in casti-
tate & in omnibus diuinis
virtutibus. Ecquis bo-
nus vicem vestram non
dolet in tam multiplici
adfectione vestra, quæ
non ad Vos solos, sed ad
vniuersum ecclesiæ Chri-
sti corpus, cuius membra
estis,

DEDICATIO.

estis, attinet? Sane dolenter hæc ipsa fert discessum *B. D. PHILIPPI IAC. SPENERI*, qui ex omnibus doctoribus vestris, quos ex plurimum annorum serie ad æterna gaudia euocauit DOMINVS, unus solus fortassis est, qui plenam æatem, mortalibus statutam, Dei beneficio attigit: id quod non mediocrem Vobis, tot aliorum præmaturam mortem dolentibus, adferre consolationem poterit. Ecce vero dum hunc patrem
ve-

DEDICATIO

vestrum lugetis & dum
vbique verorum Dei libe-
rorum mentes tristi eum
clamore prosequuntur:
*Currus Israëlis & equi-
tes eius!* dum, inquam,
lacrimis genæ vestræ ex
obitu fidissimi huius serui
Dei, cuius nec tempus
vllum nec ipsa æternitas
obliviscetur, adhuc ma-
dent, nouam subito pla-
gam infligit Vobis Deus,
quando rursus vnum ex
doctoribus vestris aufert,
cuius fides & candor
omnibus manifestus fuit.
Qui hoc ipsum sine ani-
mo-

DEDICATIO:

morum vestrorum stupore & omnis pristini doloris renouatione fieri potuit, si quidem eos, qui inter Vos laborarunt Vobisque præfuerunt in DOMINO, agnouistis, & propter opus ipsorum supra modum caros duxistis?

Quum igitur æquum & iustum sit, Vos in isto hoc mœrore ab aliis, qui eius participes sunt, erigi & excitari, ut alius alium consolemini & erigatis; ego etiam ex pia & christianum hominem decen-

-OMI

te

DEDICATIO:

te ratione mihi proposui , aliquid
olei, quod a DOMINO accepi, cru-
dis vulneribus vestris adferre, num
forte Deo omnis consolationis pla-
cuerit, hoc ipso dolorem vestrum
aliquantum lenire , & fidem ve-
stram in Deum viuum , nec non
amorem vestrum in ipsum, sub his
etiam castigationibus excitare &
confirmare.

Quamobrem hunc libellum
de *gratia & veritate* animo simpli-
ce Vobis dedicandum duxi. Le-
gite eum & probate, annon ea-
dem contineat, quæ vestri Vobis
doctores, quos lugetis, adnuntia-
runt & iuculcarunt; sicuti eadem
sunt, quæ, pro varia diuinitus mi-
hi data occasione , auribus vestris
& animis proposui. Itaque con-
solationem, quam olim ex docto-
rum vestrorum, iam in triumphan-
tem ecclesiam translatorum , ore

b

acce-

DEDICATIO.

accepistis, in mentibus vestris hoc
ipso renouari sinite. Et si qui Ve-
strum in incepto cursu fortassis
oblanguerunt, neque præclarum
fidei certamen satis viriliter &
constanter certauerunt, hanc i-
psam ad Vestri excitationem ad-
mittite, vt, quod in carne reli-
quum est temporis, ad volunta-
tem Dei & in virtute DOMINI
conficiatis.

Accipite igitur hanc scriptiun-
culam de gratia & veritate amico
& beneuolo animo, & per
hanc ipsam a Domino, qui abie-
ctos solatur, qui esurientes bo-
nis explet & diuites inanes dimit-
tit, non tantum Vos erigi, sed et-
iam porro præparari sinite, vt ad
doctores vestros perueniatis, ipso-
rumque gloriæ reddamini partici-
pes. Orate etiam pro me, vt
DO-

DEDICATIO.

DOMINO fidelis sim usque ad
mortem.

Quod reliquum est, æternæ ca-
ritati & intimæ misericordiaæ DO-
MINI NOSTRI IESV CHRI-
STI Vos omnes commendo. Va-
lete. Datum ad d. xx. Febr.
cic dcc v. Halis Magde-
burgicis.

b 2 PRÆ-



PRÆFATIO.

DE gratia & veritate meditatio quædam ad ductum scripturæ sacræ tibi proponitur, Lector Christiane. Persuasissimum mihi est in DOMINO IESV, hæc duo vocabula, *gratiam & veritatem*, esse vitam æternam omnibus in Spiritu ea intelligentibus & degustantibus ; siquidem per Christum OMNIA donauit Deus & rō OMNIA Spiritus sanctus hoc ipso expresit, quod per Christum *gratia & veritas* præstata sit. Disce igitur rō OMNIA ex hisce duobus vocabulis, sic autem disce, vt hæc duo vocabula in te etiam *gratia & veritas, spiritus & vita* fiant. Quomodo autem tam *gratiam*, quam *veritatem* in sinceritate sua conserua-
re

PRÆFATIO.

re debeamus, vt neque illa impura
proprii meriti opinione, neque hæc
errore & iniustitia vel amore mundi
inquietur & infirmetur, id in pri-
mis loca BERNHARDI & AVGUSTINI,
quæ sequuntur, monent BERNHAR-
DVS de GRATIA ita ait Sermon.
LXVII. in Cantic. Tom. III. p. 109. a.
*Ego dilecto meo, inquit sponsa, O dilectus
meus mihi. Cur ita? Nempe ut tunc magis
gratia plenam se probet, cum totum gratiae
dederit & primas scilicet illi partes adseri-
bens & ultimas. Alioquin, quomodo gra-
tia plena, si quid habuerit, quod non sit ex
gratia? Non est, quo gratia intret, ubi
iam meritum occupauit. Ergo iam plena
confesio gratiae, ipsius gratia plenitudinem
signat in anima conscientis. Nam si quid de
proprio inest, in quantum est, gratiam ce-
dere illi necesse est. Deest gratia, quidquia
meritis deputas. Nolo meritum, quod gra-
tiam excludat. Horro quidquid de meo est,
ut sim meus, nisi quod illud magis forsitan
meum iß, quod me meum facit. Gratia
reddit me mihi iustificatum gratis, & sic li-
beratum a seruitute peccati. Denique ubi
spiritus Domini, ibi libertas.*

PRÆFATIO.

AUGVSTINI verba de VERITATE
loquuntur ex libro de Agone Christiano
c. XIII. & ita habent: *Quum cognitio &*
actio dona sint Dei & beatum hominem fa-
ciant, sicut in cognitione cauendus est error,
sic in actione cauenda nequitia. Errat au-
tem, quisquis putat veritatem se posse cogno-
scere, quum adhuc nequiter viuat. Nequi-
tia est autem, mundum istum diligere, &
ea, que nascuntur & transeunt, pro magno
babere, & ea concupiscere & pro his labora-
re, ut acquirantur, & letari, quum abun-
dauerint, & timere, ne pereant & contri-
stari, quum pereunt. Talis vita non pot-
est puram illam & sinceram & incommutabi-
lem videre veritatem, & inhærere illi, & in
æternum non moneri.

CHRISTVS autem IESVS, ad
quem vnum solum, te, Lector ca-
rissime, hæc meditatio remittit, gra-
tia sua cor tuum ipse replete, & per
Spiritum sanctum suum te ducat in
omnem veritatem! Cui sit honor
& gloria in sœcula sœculo-
rum, Amen.

CON-



CONSPECTVS.

CAPVT PRIMVM.

Quod noui & veteris testamenti scripta Christum plenum gratiae & veritatis esse docent.

- §. I. Christus plenus gratia & veritatis pag. 1
 §. II. Vaticinia de gratia & veritate in veteri testamento 2
 §. III. In novo testamento in Christo impleta ibid.
 §. IV. Sub gratia & veritate excellentia personæ
atque officii eius delitescit 3
 §. V. Disquirendum igitur, quid sit gratia & ve-
ritas ibid.
 §. VI. Et Deus orandus veram intelligentiam 4

CAPVT SECUNDVM.

*Quomodo Christus in se ipso plenus sit gratiae ac
veritatis*

- | | | |
|---------|--|-----|
| §. I. | <i>Gratia & veritas in Christo ipso est & qui-
dem cum plenitudine</i> | 5 |
| §. II. | <i>Plenus gratiae est secundum diuinitatem</i> | 6 |
| §. III. | <i>Et secundum humanitatem</i> | ib. |
| §. IV. | <i>Plenus veritatis secundum diuinam natu-
ram</i> | 7 |
| §. V. | <i>Et secundum humanam naturam</i> | ib. |
| §. VI. | <i>Itaque revera omnium pulcherrimus est,
quia omnia in eo sunt veritas</i> | 8 |

CONSPECTVS.

§. VII. Precatio de cognoscendæ gratia & veritate Iesu Christi 9

CAPVT TERTIVM.

Quomodo Christus etiam hominibus tamquam plenum gratiae ac veritatis fere manifestet.

§. I. Christus erga homines etiam plenus est gratiae & veritatis, tamquam fundamentum ac lapis angularis salutis eorum 10

§. II. Gratia fundata est veritas ib.

CAPVT QVARTVM.

Quod vocabulum gratiae hominem in omnibus quo diuinitus affecti sumus & fruimur, considerationem introducere debeat.

§. I. Quid vocabulum gratiae complectatur 11

§. II. Gratia homo conditus & post lapsum salute impetratus est 12

§. III. Gratia Dei in Christo ex aeterno tempore est & in omnem aeternitatem durat 13

§. IV. Ipse Christus nobis hanc gratiam predicit 14

§. V. Quid homini in huius gratiae cognitione usque veniat 14

CAPVT QVINTVM.

De principiis vocabuli gratia in scriptura sacra significatis.

§. I. Variæ vocabuli gratiae denotatio 15

§. II. Uniuersum regnum Christi regnum est gratiae 17

§. III.

CONSPECTVS.

- §. III. *Quomodo sacra scriptura ad hanc cognitionem nos manu quasi ducat* 18

CAPVT SEXTVM.

- Quomodo ex plenitudine Christi gratiam pre gratia accipiamus.*
- §. I. *Quid sit gratia pro gratia* 19
§. II. *Perpetuum gratiae augmentum* 20

CAPVT SEPTIMVM.

- Quo quis in statu gratia, per Christum donata, frui recte possit.*
- §. I. *Grauis causa canendi gratiam* 21
§. II. *Hic cantus demum in iustificatione discitur* 22
§. III. *Et agnita prius indignatione Et ira Dei* 22
§. IV. *Iustificatio centrum est, ex quo gratia procedit* 23
24

CAPVT OCTAVVM.

- Quid homini contra duplēm Satanae fraudem deuitandum sit, ut in gratia sit atque maneat.*
- §. I. *Due periculosisimae Satanae tentationes* 26
§. II. *Speciosa hominem fidem terrendi argumenta* 27
§. III. *Hac a Satana astute reticentur eo tempore, quo magis essent necessaria* 28
§. IV. *Quodando frans Satanae sit anipi aduertenda* 29

b 5

§. V.



CONSPECTVS.

- §. V. Quomodo eadem devitanda ib.
§. VI. Aliæ Satanae fraudes quomodo depellenda 30

CAPVT NONVM.

Quam arduum sit verum illud atque internum
fidei certamen, & quantum inde emolu-
menti ad hominem redeat, si in eo ipso
fidelem sese præbuerit.

- §. I. Maximum & summe necessarium fidei cer-
tamen 31
§. II. Fiducia gratiae Dei ab ipso Deo summo-
pere laudata ac præcepta ib.
§. III. Verum internumque certamen eo tendit, ut
homo in intuitu diuinæ gratiæ subficit 32
§. IV. Duplex victoriae, in hoc certamine par-
ta, fructus 33
§. V. Beata diuinæ gratiæ contemplatio 34
§. VI. In iis etiam rebus, quæ carni aduersæ
sunt 35

CAPVT DECIMVM.

De durissimo fidei certamine, ubi homo sine
ullo gratiæ sensu, gratiæ Dei nibilo secu-
us fidere, eaque iniusti debet, & quam
vitile hoc certamen sit.

- §. I. Difficillimum est sine gratiæ sensu gratiam
sperare 36
§. II. Hoc ipso anima virilis euadit & ad imi-
tandum Christum idonea 38
§. III. Fidem etiam veterum nunc demum recte
discit agnoscere 39
§. IV.

CONSPECTVS.

§. IV. *Alius adhuc fructus spiritualis siccitatis*
ibid.

CAPVT VNDECIMVM.

*Quomodo inexhausta opulentia diuinae gratiae
in Christo Iesu profunditas a Paulo Rom. V,
6 - 12. describatur*

§. I. *Diuinae gratiae opulentia eiusque abundan-
tissimum solatium explicatur ex Rom. V, 6.*

§. II. *Hominem ad veram respiscentiam & fi-
dem potest perducere* 41

§. III. *Et ad fiduciam in Deum* 42

§. IV. *Valida Pauli thesis, quomodo ex acce-
pta gratia amplior & sublimior gratia*
concludi debeat 44

§. V. *Quod ipsum commate io confirmatur & il-
lustratur amplius* 45

§. VI. *Vbi Paulus ab efficacitate mortis Christi ad
excellentiorem vitæ ipsius efficacitatem con-
cludit* 46

§. VII. *Gratia non tantum ab ira seruat* 47

§. VIII. *Sed libertatem quoque ac fiduciam pre-
bet gloriandi de Deo per Christum Iesum* 48

49

CAPVT DVODECIMVM.

*Quod neque per legem gratia, nec per gratiam
obedientia in Deum tollatur. Et quemadmo-
dum ab abusu gratiae sibi cauere homo de-
beat.*

§. I. *Ipsa lex eo valet, ut gratia tanquam gratia
agnoscatur* 50

§. II.

CONSPECTVS.

- | | |
|--|----|
| §. II. Monitum de vitando abusu doctrinæ de gratia | |
| §. III. In quonam abusus iste consistat | 51 |
| §. IV. Gratia propter abusum hanc solanda, sed tanto studiosus inculcanda & explicanda | 52 |
| §. V. Alia gratiae consideratio | 54 |
| §. VI. Beatitas status gratiae | 55 |
| | 56 |

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Quod gratia sub mysterio crucis in hac vita abscondita & inibi praetantissima sit.

- | | |
|---|----------|
| §. I. Gratia sub cruce occultatur | 57 |
| §. II. Neque tamen desinit gratia | 58 |
| §. III. Sed a Paulo tum quam præclarissime descripta est, ubi ratio illam omnium minime perspicit | ibid. |
| §. IV. Gratia Patris cœlestis in imminetendis afflictionibus | 59 |
| §. V. Rationi incomprehensibilis | ibid. |
| §. VI. Manet tamen gratia | 62 |
| §. VII. Spiritus S. gratia, que sub afflictionibus in nobis sese exserit | ibid. |
| §. VIII. Quando fidelium caussam, tamquam aduocatus eorum, agit; & velut mater eos solatur | ibid. |
| §. IX. Cum ipsis una suspirat, ovssvæces | 65 |
| §. X. Et eiusmodi suspiriis ineffabilibus pro eis supplicat | 66 |
| §. XI. Quid sint ista suspiria | 67 |
| §. XII. Tres diversi amoris materni Spiritus sancti actus | ib. |
| | §. XIII. |

CONSPECTVS.

- §. XIII. *Quorum beneficio credentes in omni certamine exsuperant* 68
§. XIV. *Hec omnia non extra hominem, sed in ipso sunt* 69
§. XV. *Quo Paulus etiam nos remittit* 70
§. XVI. *Infinitas gratiae Dei diuitias nemo, quantum fari est, agnoscere potest & verbis exprimere* 71
§. XVII. *Precatio de agnoscenda & percipienda hac diuina gratia* ib.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Christum non tantum esse plenum gratiae sed plenum etiam veritatis. De varia huius vocabuli significationibus.

- §. I. *Gratia & veritas a se inuicem non separandae* 72
§. II. *Quid veritas sit, paucissimi hominum intelligunt* 73
§. III. *Vulgaris significatio vocabuli veritatis* 74
§. IV. *Varii eius significatus in scriptura sacra* 75
§. V. *Quemadmodum Christus sit plenus veritatis* ib.
§. VI. *Hec veritas in credentibus etiam per Christum adimplenda & instauranda est* 76
§. VII. *Qua de re sequentia scripturæ sacræ testimonia notanda* 77
§. VIII. *Quomodo haec testimonia adhibenda sint* 78
§. IX.



CONSPECTVS.

- §. IX. Christogratia adscribitur in oppositione ad
res creatas ib.
- §. X. Christus quoque ipsa veritas dicitur &
cur? 79
- §. XI. Dat spiritum veritatis, spiritui mendacii
oppositum 80
- §. XII. Hunc sanctum & excellentem vocabuli
veritatis sensum capere homo nequit, quam-
diu in regno mendacii sive diaboli repe-
ritur 81
- §. XIII. Nec inter veritatem & mendacium di-
stinguere potest 82

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Quomodo homo, quum ad Deum vere conuer-
tur, veritatem a mendacio discernere discat,
& quam beatus tum sit pra reliquis morta-
libus, nondum conuerfis.

- §. I. Primus hominis e mendacio in veritatem gra-
dus in penitentia fit 83
- §. II. Qui veritatem cognoscere incipit, cum vita
anteacta pudet ib.
- §. III. E contrario gratiam tum demum vere pre-
dicat, que ei contigit 84
- §. IV. Qui spiritum veritatis habet, is magnum
discrimen, quod inter ipsum & impium in-
tercedit, cognoscit 85
- §. V. Quisquis ad gratiam & robur Christi non
adhaerexit, ille in veritate non perficit 86
- §. VI. Vbi veritas est, homo sibi nihil, Christo
autem omnia adsignat 87
- §. VII.

CONSPECTVS.

- §. VII. *Qui veritatem cognoscit, ille mundanis
vanitatibus non dat operam* 88
 §. VIII. *Quem verum fructum crux adferat* 89
 §. IX. *Quomodo per Mosen lex data, per Christum autem gratia praestita sit* 90
 §. X. *Quomodo spiritus veritatis hominem, dum amori Dei & proximi studet, intra iustos cancellos contineat* 92
 §. XI. *Quomodo neuis & affectibus, quos in hoc studio animaduertit, cum per gratiam tum per veritatem medeatur* 93
 §. XII. *Quomodo in pace Dei eum conseruet* ib.
 §. XII. *Quomodo in omnibus temptationibus ad processus tanto magis ipsum compellat* 94
 §. XIV. *Quomodo verbum veritatis dulce ei reddat* 95

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Excitatio lectoris, vt ea, quæ de gratia & veritate scripta sunt, secum ponderet & jalutariter applicet.

- ¶. I. Hactenus dicta diligenter expendenda sunt
¶. II. Non ita quidem, ut tantum bella cogitationes
colligantur 96
¶. III. Sed ut ad eum nos conuertamus, qui plenus
est gratiae & veritatis, eique cor nostrum
offeramus 97
¶. IV. Et ut per considerationem gratiae ac verita-
tis cor nostrum in centro fides in Christum tu-
camur 98
¶. V. 99

CONSPECTVS.

§. V. Precatio

Philanthropia, hoc est amor Dei erga homines

103

*Epistola ad amicos extraneos de christiana sim-
plicitate*

103

*Sancta & tuta via fidei veri Christiani, in
forma confessionis descripta*

113

123



I. N. I.



I. N. I.

CAPVT PRIMVM.

QVOD NOVI ET VETERIS TESTAMENTI SCRIPTA, CHRISTVM PLENVM GRATIAE ET VERITATIS ESSE,
DOCEANT.

§. I.

Christus plenus gratiae et veritatis.

IOANNES gloriam JESV CHRISTI, mediatoris Deum inter & homines, descripturus, quemadmodum eam vna cum Petro & Iacobo in monte sancto præcipue viderat, *Sermo*, inquit, *caro factus est, et habitauit in nobis (et spectauimus gloriam eius, gloriam ut unigeniti a Patre) PLENS GRATIAE ET VERITATIS.* (Io. I, 14. Matth. XVII, 1. &c. collat. 2 Petr. I, 16. 17. 18.) Porro verbis paucissimis, quæ bona per Christum nobis contigerint, traditus, com. 16. ait: *Ex plenitudine ipsius (gratiae ac veritatis) nos omnes accepimus et gratiam pro gratia.* Ut autem ex opposito sensus Spiritus in verbis e com. 14. adductis eo melius percipiatur, addit com. 17. *Nam lex per Mosen tradita est: GRATIA ET VERITAS per Iesum Christum contigit.*

A

§. II.

§. II.

Vaticinia de gratia & veritate in veteri testamento.

Quae si cum veteris testamenti scripturis contulerimus, manifesto deprehendemus, Spiritum S. de CHRISTO eadem in iis vaticinatum esse, quae IOANNES in eo & per eum impleta esse, testatur. Sic enim expressum vaticinium de eo habet (Ps. LXXXIX, 2. 3.) *MISERICORDIAS* (gratiam) *Iehouæ perpetuo cantabo, in quamque generationem notam faciam VERITATEM tuam ore meo.* Nam statuo fore, ut in seculum *MISERICORDIA* (gratia) adficietur; in calis ipsis stabilias *VERITATEM tuam.* Et (Ps. C, 5.) *Bonus est Iehoua, in seculum MISERICORDIA eius, & usque in generationem quamque VERITAS eius.* Psalmus CXVII. eadem de CHRISTO promittit: *Inualuit, inquiens, erga nos MISERICORDIA eius (Iehouæ) & VERITAS in seculum.* Eundem in modum prophetæ pluribus locis de CHRISTO loquuntur, & *Iesaias* in primis totum fœdus vocat *benignitates Davidis certissimas.* (cap. LV, 3.)

§. III.

In novo testamento in Christo impleta.

ID CIRCO dubium non est, quin Spiritus sanctus in Ioanne ad veteris testamenti vaticinia respexerit, eorumque impletionem in *Iesu Nazareno* commonistrare nobis voluerit; ut ne de ullo alio, nisi de ipso accipiamus, quidquid prophetae de *gratia & veritate* prædixerunt, adeoque ve-

re credamus, Iesum esse Christum filium Dei, utque credentes vitam habeamus per nomen eius. (Io. XX, 31.)

§. IV.

Sub gratia ac veritate excellentia personæ atque officii eius delitescit.

PRO INDE omnis gloria CHRISTI, non tantum personæ sed officii etiam eius, & quidquid boni per eum, tamquam mundi seruatorem, genus humanum adipiscitur, his verbis, *gratia* videlicet & *veritate*, tam in veteri, quam in novo testamento, comprehenditur. Sicut igitur fieri non potest, ut quis Christi gloriam verbis exprimat, aut bona, quæ nobis acquisiuit & donauit, describat: ita quoque fieri nequit, ut nullus hominis intellectus & eloquentia perfecte adsequatur, quid *gratia* & *veritas* secundum sensum Spiritus & amplissimum atque excellentissimum significatum verborum, in quæ propheticus & apostolicus Spiritus se diffudit, in se contineat.

§. V.

Disquirendum igitur, quid sit gratia & veritas.

NEQUE tamen inane studium est, si quis intimore Dei, CHRISTVM eiusque gloriam melius cognoscendi caussa, in scrutandis scripturis id agit, ut, quid *gratia* & *veritas* sit, recte intelligat. Etenim ipse Spiritus sanctus passim per os prophetarum ac apostolorum hæc verba interpretatus est. Et quo quis plus misericordiae a Deo impetrat ad hanc interpretationem in ipsa scri-

ptura obuiam, illustrante Spiritu sancto, cognoscendam: eo magis haec verba ipsi eo valent, ut de peccatorum somno euigilet, & ad fidem illiusque augmentum, ad gaudium, ad solatium, ad vitam & omnem pietatem exciretur. Quid quod tanto magis per gratiam & veritatem, quae est in IESV CHRISTO, in claritatis sive gloriae illius cognitionem introducitur, & in eamdem imaginem transformatur ex gloria in gloriam. (2 Cor. III, 18.)

§. VI.

Et Deus orandus veram intelligentiam.

OMNI igitur animi submissione & sinceritate DEVUM oremus, ut cor nobis adaperiat dilatetque, ut diuicias gloriae eius in gratia & veritate, quae in CHRISTO IESV est, nobisque in ipso obtigit, recte intelligamus & comprehendamus, ut Christus ipse in nobis per Spiritum sanctum in honorem Patris illustretur. Colligamus mentes nostras in diuinam quamdam tranquillitatem, ut veritas & gratia, quae in Christo est, in nobis conspiciatur, nosque ea & in hoc mundo & futura æternitate perfruamur. Vnicum enim Dei verbum, si placido quietoque Spiritu id expenderis, maiorem animæ thesaurum maioresque diuicias tibi adferet, quam si multos libros, immo ipsam vniuersam scripturam sacram animo in omnia alia distracto legeris.

CAPVT

CAPVT SECUNDVM.

QVOMODO CHRISTVS IN SE IPSO
PLENVS SIT GRATIAE AC VERITATIS.

§. I.

*Gratia & veritas in Christo ipso est, & quidem
cum plenitudine.*

PRIMVM igitur considera, in Christo ipso esse, quod aliis impertit. *Ipse enim plenus est gratiae ac veritatis.* Plenus est *gratia*, & hac ipsa plenitudine ab omnibus rebus diuersus est, illisque, immo ipsis angelis, excellentior. Est enim *splendor gloriae & character personae Dei.* (Hebr. I, 3.) Hanc plenitudinem in se ipso habet per æternam generationem a Patre: quod de nulla re creata dici potest. *Nam per eum, ut pote æternum & vnigenitum filium Dei, condita sunt omnia, tum que in cælis, tum que in terra sunt: tum adspectabilia tum inaspectabilia, & folia & dominatus, & principatus, & potestates: omnia & per eum & propter eum condita sunt:* Et is est ante omnia & per eum consistunt omnia. (Col. I, 16, 17.) Hinc quum Ioannes dicit, quod sermo caro factus sit, & habitauerit in nobis *plenus gratiae ac veritatis;* testatur simul, quod discipuli gloriam ipsius spectauerint tamquam *vnigeniti a Patre,* hoc est, quod talis plenitudo gratiae ac veritatis in eo habitauerit, que nulli homini, sed *vnigenito tantum Dei filio,* adsignari possit.

A 3

§. II.

§. II.

Plenus gratiae est secundum diuinitatem.

EST in eo plenitudo gratiae. Filius enim est, in quo acquirescit Pater (Matth. III, 17. c. XVII, 5. Ies. XLII, 1.) ὁ ἀγαπητός, dilectus ille, verus Ie- didiah (2 Sam. XII, 25.) filius amoris. (Col. I, 13.) Ipsum cor Dei est. Omnis amor, omnis misera- ratio, omnis favor, omnis benignitas ac φιλανθρωπία Dei in filio quod ad ipsam essentiam re- peritur. Et quemadmodum in Deum nulla ca- dit diuisio, adeoque cum plenitudine gratiae o- mnis etiam plenitudo deitatis indissolubili nexu coniuncta est: ira etiam in Christo una cum ple- nitudine gratiae omnes diuinæ proprietates, per- inde atque in Patre, sunt.

§. III.

Et secundum humanitatem.

PER incarnationem autem hæc gratiae pleni- tudo cum diuinis proprietatibus humanæ eius na- turæ ita est communicata, ut persona Christi, siue λόγος, qui caro factus est, (Θεόνθρωπος) merito plenus gratiae dici possit. Quandoquidem secundum humanam naturam vñctus est οὐ εἰ μέτεστ, non ex mensura: (Psal. XLV, 8. Io. III, 34.) hoc est, ex infinita plenitudine; ita ut in perso- na Christi omnis amaritatem & pulchritudinem Dei, (יְהוָה נִרְאָה Psal. XXVII, 4.) omnis maiestas Patris, omnis diuina, spiritualis & cælestis, nec humanis sensibus intelligibilis suauitas, iucundi- tas, oblectatio, lætitia & eudonía, ut summatim

di-

dicam, omnis Dei essentia, quæ tota est caritas, habiter. Atque ita est plenus gratiae, & suo iure dicitur *multo pulchrior effectus filii hominum* (Ps. XLV, 3.) *verillarius e myriade.* (Cantic. V, 20.)

§. IV.

*Plenus veritatis secundum diuinam natu-
ram.*

SIMUL autem plenus est veritatis. Gratia enim eius vera est gratia. Quemadmodum Pater vere diuinæ est essentiæ, ita hæc veritas etiam in Filio est. Et quidem plenitudo veritatis in eo est, rebus omnibus caducis, fluxis, imperfetiis & fragilibus opposita. Rebus creatis sœpe quædam inest amoenitas & suavitatis, sed in isthac iucunda specie constans, immutabilis & interior eis deest veritas; vel si quid etiam veritatis in illis est, non tamen plenitudo veritatis est, sed heic illic non nihil deficit. Filius autem vnigenitus a Patre plenus est gratiae & simul plenus veritatis, quippe in quo omnis Dei fides ac veritas subsistit, & in quo omnia Dei attributa non tantum in iucunda quadam repercussione conspicuntur, sed etiam in vera, immutabili atque æterna perfectione deprehenduntur, tamquam in vero *chara-
ctere personæ illius* (Hebr. I, 3.) Ita Filius Dei ab æterno plenus est veritatis, & ipse idem in omnia secula. (Ps. CII, 28. Hebr. I, 12.)

§. V.

Et secundum humanam naturam.

QUANDO igitur hic æternus sermo, postquam aduenit plenum tempus, homo factus est, huma-

na etiam natura in communionem huius diuinæ plenitudinis veritatis adscita est. Adeoque Christus, adsumta humana natura, de se dicere poterat: *Ego sum veritas.* (Io. XIV, 6.) Ipse enim est *Sanctus & Verus ille, Amen, testis ille fidelis & verax,* (Apoc. III, 7. 14.) in quo omnes promissio-
nes Dei sunt *Etiam & sunt Amen.* (2 Cor. I, 20.) Nam omne propositum Dei ante omnem tempo-
rum æternitatem factum est in Christo Iesu, (2 Tim. I, 9.) & omnis veritas, quam Deus inde ab orbe condito adnuntiauit, in eo fundatur, & ad eum, tamquam finem & scopum, collineat, ut in nullo alio nisi in eo impleri possit, immo impleta sit. Vnde *veritas* (sive fides) *cingulum ser-
monum ipius* dicitur, (Ies. XI, 5. Eph. VI, 14.) Atque ideo ipse est *via & veritas & vita,* (Io. XIV, 6.) quia genus humanum ex omni falsa, ambi-
guo & fallaci via, in quam serpentis dolo sedu-
ctum est, eripit & in veram atque æternam vitam Dei (Eph. IV, 18.) reducit.

§. VI.

*Itaque reuera omnium pulcherrimus est, quia o-
mnia in eo sunt veritas.*

CHRISTVS igitur pulchrior est præ filiis ho-
minum & vexillarius e myriade, non specie, sed ipso opere & veritate; immo tam sublimi & ex-
cellenti veritate, ut nulla ratio & sensus possit comprehendere. Neque enim heic quicquam
fictum vel simulatum est, sed omnia in eo sunt
veritas.

veritas, vera lux, vera sapientia, vera iustitia & sanctitas, vera vita & vera potentia Dei. Immo etiamsi multa verba conquires, plura tamen in eo continentur, quod dicit Ioannes, Plenus est gratiae & veritatis.

§. VII.

Precatio de cognoscenda gratia & veritate Iesu Christi.

DOMINE Iesu, tu te eis temetipsum patefacturum adfirmate promisisti, qui te amant, mundo non item. (Io. XVI, 21. 22.) Si igitur amantes te soli sunt ii, qui gloriam spectant tuam (gloriam tamquam vnigeniti a Patre) sicut es plenus gratiae & veritatis: per veram tuam virtutem verum tui amorem in cordibus nostris operare, & fac, in eo Patri tuo tibique accepti simus, teque nobis conspiciendum præbe; ne de te magna loquamur ore, sed gustemus & videamus, quod sis plenus gratiae ac veritatis. Glorificate in nobis per Spiritum veritatis, ut vere & pro eo ac decet te honoremus nomenque tuum inter fratres nostros illustremus.

CAPUT TERTIVM.

QVOMODO CHRISTVS ETIAM HO-
MINIBVS TAMQVM PLENVM GRA-
TIAE AC VERITATIS SE SE MA-
NIFESTET.

§. I.

Christus erga homines etiam plenus est gratiae & veritatis, tamquam fundamentum ac lapis angularis salutis eorum.

CHRISTVS non tantum spectandus est, vt in semetipso est plenus gratiae ac veritatis, sed etiam ut hominibus tamquam plenum gratiae ac veritatis sese manifestat. Idcirco enim Ioannes addit; (com. 17.) Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus & gratiam pro gratia. Et: *Gratia & veritas per Iesum Christum praestata est.* Ipse est manetque æternus ille lapis angularis, pretiosus, probe fundatus (Ies. XXVIII, 16. I Petr. II, 6. Psal. CXVIII, 22.) quo vniuersa nostra salus fundata reperitur.

§. II.

Gratia fundata est veritas.

HEIC *gratia* primum semper locum obtinet. Ex mera enim gratia Christus a Deo nobis donatus est, & ex mera gratia in eo & cum eo nobis omnia largitur Deus, (Rom. VIII, 32.) Quia homo iram & offendit Dei subiit, gratia in Christo prius praestetur, necesse est, si homo ex miseria sua eripi debeat. Gratia & veritas iunctim quidem posita, & in Deo unum idemque sunt;

nos

nos autem veritatis compotes fieri non possumus, nisi prius agnita & admissa gratia: (I Tim. II, 4. 5. 6.) quemadmodum etiam gratia, pro viuenda sua virtute agnita & admissa, veritatem a se separari non sinit. Nihil prorsus in homine supra gratiam, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro, sese efferre debet. Quidquid enim in homine gratiæ sese submittere recusat, & in villa re alia, quam in Dei gratia gloriam aliquam querit, in ludibrium & ignominiam vertatur, oportet. Nam *Christus Iesus factus est nobis sapientia a Deo, iustitiaque & sanctificatio & redemptio;* ut fiat sicut scriptum est: (Ier. IX, 23. 24.) *Qui gloriatur, in domino gloriator,* (I Cor. I, 30. 31.)

CAPVT QVARTVM.

QVOD VOCABVLVM GRATIAE HOMINEM IN OMNIS BONI, QVO DIVINITVS ADFECTI SVMVS ET FRVIMVR,
CONSIDERATIONEM INTRODUCERE DEBEAT.

§. I.

Quid vocabulum gratiæ complectatur.

GRATIA notissimum quidem vocabulum est, sed magis tamen quod ad externum sonum, quam quod ad rei excellentiam attinet. Hæc enim vox tot ac tanta in se continet, ut mens humana quasi in oceanum diuinæ opulentiae immergatur, si paullo attentius & submissius discat cognoscere, quid sit *gratia*. Quid enim quæsto

quæso remanet sublata gratia ! *Gratia enim homo conditus est ; gratia conseruatur ; gratia redemptus est ; gratia iustificatur ; gratia sanctificatur ; gratia denique salutem consequitur.* Si igitur Deus, quæ homini beneficij gratiæque caussa concessit, ea omnia repetere veller, quid, quæso, homini foret reliquum ? Corpus & anima & simul omnia, quæ ad vitam etiam naturalem pertinent, ad Deum redditura essent (vt nihil dicam de bonis temporariis, ad vitam naturalem sustentandam ordinatis) quippe quæ omnia a Deo data sunt ex *mera bonitate & misericordia, sine ullis nostris meritis aut ulla dignitate.*

§. II.

Gratia homo conditus & post lapsum salute impertitus est.

QUAM sublimis & quam mirifica est gratia ! Ex mera gratia dixit Deus : *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram.* Et statim subiungitur : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit eum.* Et ubi serpens ille hoc bonum Dei consilium ac voluntatem impedium iuerat, & homo diaboli factus erat *imago*, tanta erat bonitas & misericordia diuina, ut Deus ipse homo fieri malleret, quam permittere, ut homo tam turpiter sibi eriperetur, & exitio immersus desereretur. Christus enim, qui est *imago Dei*, (Col. I, 15.) statim post hominis defectionem promittebatur, qui caput serpentis contereret.

§. III.

§. III.

Gratia Dei in Christo ex æterno tempore est, & in omnem aeternitatem durat.

Et hæc gratia, fauor, amor ac miseratio Dei non eo demum tempore in corde Dei existit, quo lapsus contigit hominis; sed amor, quo Deus nos complexus est in Christo Iesu, æternus amor est, & *gratia*, quæ data nobis est in Christo Iesu, data est nobis ante omnem temporum aeternitatem, quamquam in Deo eiusque proposito abscondita fuit. (Eph. III, 9. 2 Tim. I, 9.) Immo hic ipse amor, misericordia, bonitas ac *Φιλανθρωπία* Dei in omnem aeternitatem se extendit, in eaque cum infinita plenitudine erga hominem se manifestabit. Hæc ipsa gratia & caritas, qua hoc ipso temporis momento nos diligit, non in star humani fauoris ac gratiæ est, nuper exortæ & breui desituaræ; sed est ipsa Dei gratia ab omni aeternitate existens atque in omnia manens sœcula. O si *gratiam* Dei ex dignitate & præstantia sua aestimaremus! In *gratia* esse apud Deum summa beatitudo est, & nihilo tamen secius hoc adeo parui sit a nobis miseris ac cœcis homunculis.

§. IV.

Ipse Christus nobis hanc gratiam prædicat.

ANNON igitur Seruator noster caussam habuit animos nostros excitandi ad hunc immensum thesaurum melius cognoscendum? Ita, inquit, Deus dilexit mundum, ut filium suum illum unigenitum

nitum dederit. Si fieri posset, ut quis amore alterius suum ipsius cor e corpore extractum ei daret, nullo tamen modo cum eo comparari posset, quod DEVS nos sibi inimicissimos tantopere dilexit, ut filium suum vnigenitum dederit, carnem fieri & pro nobis tantam ignominiam & ludibrium, nec non amarissimam crucis mortem subire, & vniuersum peccatorum generis humani onus sentire iusserit, ut sese ab eo, Patre suo, desertum ipse questus sit. Nonne igitur vere dicere poterat: *Ita Deus dilexit mundum?* Huc igitur homo ante omnia oculos suos conuertat, necesse est, si recte velit cognoscere, quid sit *gratia*; quemadmodum ipsum solem adspicere nos oportet, si eius splendorem, pulchritudinem & præstantiam recte percipere cupiamus. Reliqua enim omnia, quæ *gratiae* nomine in scripturis veniunt, in hoc amore, & quo Deus filium suum nobis dedit, quasi in sinu, requiescunt.

§. V.

*Quid homini in huius gratiae cognitione usus
veniat.*

HOMINI autem in hac meditatione idem se ferre usu venit, quod ei, qui acrioribus oculis solem intuetur, vbi splendorem ferre oculi non possunt, adeoque stillant & lacrimantur. Neque fieri potest, quin hominis animus intime adficiatur & præ amore in Deum quasi exundet, si hæc ei æterna scaturigo adaperiatur. Scriptura enim sacra rationem, qua Deus sue nobis gratiae cognitionem largitur, traditura, *Caritas*, inquit,

Dei

Dei (qua Deus nos in Christo Iesu ab æterno dilexit) effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. (Rom. V, 5.) Gratiae enim in cordibus nostris manifestatio nulla cum re melius comparsari potest, quam cum torrente aquarum viuarum, qui torrens per Spiritum sanctum, ut aqua naturalis a vento, agitur, ut ex corde Dei in corda nostra exundet; atque ita in tali diuina exundatione nihil nisi diuinum gaudium, diuinam pacem, diuinam voluptatem, diuinam caritatem & cordis humani cum corde Dei coniunctionem adferre potest. Vti in vita humana sit, ut nihil nisi caritas & gaudium existat, ubi amicus amico animi sui secreta detegit amoremque mutuum declarat.

§. VI.

Precatio de cognoscenda gratia Christi.

DOMINE Iesu, quum æterna Patris tui caritas non tantum in te existat, sed eius etiam φιλανθρωπία in te, tamquam sole gratiae ac iustitiae, nobis misericordia, per peccatum diuinæ iræ subiectibus, mortalibus illucescat, immo splendore suo ac radiis in animos nostros penetret, eos vivificet, spiritu vita replete, diuina caritate calefaciat, omnem maledictionem nobis adimat & benedictionem impertiat, ut tamquam terra vere benedicta, (Deut. XI, 12.) quam

quam Iehoua Deus curat, & in quam iugiter oculi Dei intenti sunt a principio anni usque ad finem eius, repleamur fructibus iustitiae: cum infinita tua miseratione nobis occurre, tuæque gratiae lumine nos præueni, ut gaudium tuum in nobis impleatur, ut animum erga nos tuum, non nisi salutis nostræ cupidum, & per te cælestis Patris tui animum, cui in te æternum nobis opitulandi fuit propositum, virtute Spiritus tui sancti cognoscamus, & in hoc æterno gratiae ac caritatis fundamento fere fundemur ac radicemur. Amen.

CAPVT QVINTVM.

DE PRAECIPVIS VOCABVLI GRATIAE
IN SCRIPTVRA SACRA SIGNIFICA-
TIBVS.

§. I.

Varia vocabuli gratiae denotatio.

EX ipsis plenitudine, inquit Ioannes, accipimus gratiam. Hoc scriptura nobis explicat, quando vocabulum *gratiae* multis & variis modis adhibet. Nam 1) non tantum *fauor* & *miseratio* Dei erga homines vocatur *gratia*; (Rom. III, 24. c. IV, 4. Eph. II, 5. 8.) sed quicquid etiam homini *gratuito* datur, Spiritus sanctus appellat *gratiam*. (1 Cor. I, 12. Phil. I, 24.) 2) Si de *re-*
missio-

missione peccatorum loquitur, (Eph. I, 7.) gratiam vocat. 3) *Si de donis, quibus Spiritus sanctus nos impertit, sermo est, scriptura ea dicit gratiam.* (1 Cor. I, 4.5.6. Eph. IV, 7.) 4) *Si de subsidio vel presentia Dei, quae hominem comitatur & dicit, eique in omni eius labore auxiliatur, verba facit, gratiam nominat.* (1 Cor. XV, 10.) 5) *Si cuiusdam beneficij fit mentio, quod ab homine gratiam consequuto in alterum confertur, ipsum beneficium gratiae nomine dignatur,* (1 Cor. XVI, 3.) 6) *Immo vero si homines etiam nondum conuersi aliis beneficium exhibere volunt, hoc beneficium quoque nomen gratiae retinet:* (Act. XXV, 9.) *quamquam in hac gratia, utpote quae mera umbra est, nulla veritas reperiatur.* 7) *Ipsa etiam gratiarum actio in scripturis gratia nuncupatur.* (1 Cor. X, 30.) 8) *Si quis praeter altero, & imprimis humilis praeter celsiore, gratus & acceptus est, ex stilo scripturæ sacræ id ipsum est gratia.* (Gen. XXXIX, 4. 21. 1 Petr. V, 5.) 9) *Remuneratio praestiti officii etiam gratia a Spiritu sancto ex quorundam obseruatione dicitur.* (Luc. VI, 32. 33. 34.) Vid. Flac. in voce *Gratia.*

§. II.

Vniuersum regnum Christi regnum est gratiae.

QVID? Si de *toto Christi regno* sermo fit, *regnum gratiae* dicitur, quod *regnum gloriae seu manifestatio opulentiae gratiae Dei erga nos in Christo Jesu* insequetur. Immo omnia *subsidia, in hunc finem nobis data, ut ad regnum gratiae per-*

B

tin-

tingamus, in eoque conseruemur, non immerito
subsidia gratiae nominantur, sicut verbum Dei
verbum est *gratiae*. (Act. XX, 24. 32.) Et Paulus
de baptismo loquens ex fundamento diuinæ *gra-*
tiae, benignitatis ac caritatis eum dēducit. (Eph.
V, 25. 26. Tit. III, 4. 5.) Quid *cœna domini* est nisi
eucharistia, quemadmodum veteres eam appellā-
lārunt, *tabula gratiae ac caritatis*, & *cœna memo-*
rialis & eucharistica, in qua infinitæ caritatis,
quæ in morte & profusione sanguinis Christi se-
fē prodidit, immo hoc ipso quasi obsignata &
confirmata est, memoria super nos renouatur. (I
Cor. XI, 23. 25.) Immo vero ut *gratia* in omni-
bus priores partes deferantur in eamque fideles
oculos suos iugiter conuertant, apostoli in o-
mnibus epistolis suis primo loco *gratiam* eis ap-
precantur.

§. III.

Quomodo sacra scriptura ad hanc cognitionem
nos manu quasi ducat.

Vt summatim dicam, quam firmum Dei fun-
damentum in sola eterna positum sit *gratia*: (z
Tim. II, 19.) Spiritus sanctus tam variis modis
ad cognoscendam *gratiam* nos invitat; an hac
iucunda ratione intime humiliati, in omnibus
indignitatem nostram agnoscere, & omnia e cœ-
lestis Patris manu acceptare, adeoque in omnibus
rebus occasionem accipere velimus, totum ani-
mum ac spiritum nostrum ei scaturiginis refun-
dendi, quæ sine illa intermissione supra nos &
in nos effunditur; & an per tantam *gratiae* opu-

len-

lentiam *veri gratiae filii* euadere gestiamus, qui non a corrupta nostra natura, iræ diuinæ subiacente, sed a *spiritu gratiae* numquam non agamus; immo an nobis persuaderi possit, ut naturæ nostræ labem gratiae beneficio ita necemus, ut vita, quam vivimus, non sit virtuosæ naturæ, sed *gratiae* ex *plenitudine gratiae*, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Mundanorum hominum iudicio magni momenti res est, si de quopiam prædicare possunt, quod multum ingenio valeat; in verbo autem Dei hoc laudatur, si quis multa prædictus est *gratia*. (Luc. II, 40. 52.)

CAPVT SEXTVM.
QVOMODO EX PLENITUDINE CHRI-
STI GRATIAM PRO GRATIA ACCI-
PIAMVS.

§. I.

Quid sit gratia pro gratia?

ECQVID igitur est, quod Ioannes dicit: *Ex plenitudine eius omnes accepimus & GRATIAM PRO GRATIA?* Hoc vult dicere, in Christo gratiam aliam post aliam nobis obtingere; hunc torrentem, ubi semel fluere coepit, sine intermissione effundi, quippe qui ex scaturagine promanet, quæ ab æterno sit & in omnem saliat æternitatem; si Deus misereatur, miserationis non esse finem; si benedicat, benedictionis non esse modum. Non autem hoc solum vult dicere, sed quemadmodum verba proprie habent: *Accipimus gra-*

B 2

tiam

tiam PRO gratia , ita vt quasi gratia graria compensetur , & perpetua quædam additio & multiplicatio sit , idque in infinitum . Largitur Deus homini quemdam gratiae suæ gustum . Quem si homo submisso & credenti animo admittit , maior illico gratia præsto est ; & in hac si homo se se fidum præstat , inenarrabilis Dei fidelitas novam gratiam eamque pristina maiorem suppeditando sese prodit . Tentationes etiam , quæ homini in curriculo suo obueniunt , vt duræ videantur infirmæ carni , nihil nisi gratia sunt , per gratiam superantur , & nihilo minus noua gratia compensantur ; vti in fideli Abraham videre est . Ita in vniuerso gratiae regno Christi alia gratiae portæ post aliam sese aperit , per quam gloriam Christi eiusque gratiae opulentia fidelibus indies loculentior atque augustior ostenditur & manifestatur , vñque dum per eam in ipsam glorie portam introducuntur , vbi gratia non amplius per fidem sed ipso intuitu , non ex desiderio sed æterna saturitate & perfecta atque infinita plenitudine cum ineffabili ac præstantissimo gaudio percipitur .

§. II.

Perpetuum gratiae augmentum .

ITA in Iesu Christi domini nostri regno nihil nisi gratia est , & omne humanum meritum omnisque humana gloriatio exsulat , quia hoc gratiae regnum ab indulgentia & miseratione initium capit , eiusque progressio est in mera gratia , neque adeo indulgentiae ac miserationis finis ullus est ,

est, vt potius gratia gratiam prouocet & quasi accendat, quemadmodum scintilla incendium excitat. O quantus hic ignis, & quanta hæc flamma amoris & gratiae in omneim æternitatem futura est! Res enim nobis est cum infinito DEO, cuius gratia *infinita* est *gratia*, vt qui gratiam suam infinito modo manifestare potest, & infinito modo, prout pollicitus est, manifestabit.

*CAPVT SEPTIMVM.
QVO QVIS IN STATV GRATIA, PER
CHRISTVM DONATA, FRVI RECTE
POSSIT.*

§. I.

Grauis cauſſa canendi gratiam.

POSTE AQVAM igitur per Filiū, qui est *in ſinu Patris*, & in quo omnis gratia nobis obtingit, gratia tam fideliter nobis adnuntiata (Io. I, 18.) adeoque in ipso *in ſeculum misericordia adiſicata eſt*, *in cælisque veritatem ſuam firmauit Dominus*: (Pſ. LXXXIX, 3.) annon cum ſpiritu Dauidis prophetico lætabundi nos coniungamus, qui tam longo ante tempore tanta cum voluptate ac gaudio hanc gratiam ſpectauit? *Mifericordias* (inquietabat, vt ſupra audiuimus) *Iehovæ in ſeculum canam*: *in quamque generationem notam faciam veritatem tuam ore meo*. (Pſalm. LXXXIX, 2. 3.)

B 3

§. II.

§. II.

Hic cantus demum in iustificatione discitur.

QVANDO autem misericordiam & gratiam homo canere potest? *Bono animo est aliquis*, inquit *Iacobus, psallat.* (c. V, 13.) Bonus igitur & lærus, hoc est, gratiae plenus, animus requiritur, si quis vere gratiam canere velit. *Iustificatio hominis peccatoris coram Deo, quæ in remissione peccatorum & imputatione perfectæ iustitiae Domini nostri Iesu Christi consistit;* (Rom. III, 24. c. IV, 24.25. Phil. III, 9.) vbi Deus propter CHRISTVM omnia peccata condonat, & vbi diuina gratia in corde hominis, veluti sol super terram, exoritur, & omnia peccata instar nebulæ dispellit: Christus autem una cum omni sua iustitia & cum plenitudine gratiae suæ homini sese donat: hæc iustificatio, inquam, centrum quasi est, in quod omnis gratia, quæ homini contingit, confluit, & ex quo in totam hominis vitam rursus profluit. Vnde gaudium est in calo super uno peccatore resipidente magis, quam super nonaginta nouem iustis, quibus non opus est resipientia. (Luc. XV, 7.) Tum gratia Dei in anima & spiritu hominis fit manifesta. Tum iucunda coniunctio Dei cum homine per gratiam, & coniunctio hominis cum Deo per fidem contingit. Tum homo *gratiæ adoptionis* gustare, seque filium vel filiam Dei viuentis animo submisso & veri solatii compote appellare incipit. Tum enim *Spiritus adoptionis* clamare incipit: *Abba Pater.* (Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6.) Tum omne verorum Dei filiorum

rum

rum ius consequitur, quia ex tenebrarum potestate eruptus & in regnum filii sui dilecti translatus est, in quo filio liberationem habet per ipsum sanguinem, id est, veniam peccatorum. (Col. I, 13. 14.) Idcirco gratia & caritate Dei non minus gaudere ex eaque solatium petere potest, quam sancti angeli in caelis, quod Deus eum non amplius in naturali miseria sua sed in *gratia filii sui* constitutum, spectat. Nam *ablatus est, sanctificatus est, iustificatus est in nomine Domini Iesu & per Spiritum Dei nostri.* (I Cor. VI, II.) Iam vere dicere potest: Credo in Deum Patrem; Credo in Iesum Christum; Credo in Spiritum sanctum, eiusque virtute credo nunc remissionem peccatorum: quae quidem in prisco impenitentiae suae statu etiam dicere consuevit, sed sine veritate, sine efficacia, sine gusto, sine vera intelligentia, quid ipsum hoc credere in recessu habeat.

§. III.

Et agnita prius indignatione & ira Dei.

Quomodo autem quis hanc gratiam canere de eaque ex animo gaudere potest, nisi prius agnouit, (& hoc agnoscerre itidem gratia est,) natura se esse filium irae, (Eph. II, 3.) subiacere se irae atque execrationi, adeoque sibi nihil magis necessarium esse iudicauit, nec quicquam audiens expertus optauitque, quam gratiam Dei? Deus placator mibi peccatori, (Luc. XVIII, 13.) cantilena eius penitentialis prius fuerit, oportet, ea-

que non ore tantum sed animo potius cantata: qui animus hanc lamentationem illico edit, simul atque a Deo in veram misericordiam ac calamitatis suae agnitionem ita introducitur, ut tristitiam secundum Deum persentiscat, eique pro pace sollicitudo amara sit; (Ies. XXXVIII, 17.) nec ullo mundano solatio erigi potest, sed solatium omne in hoc quaerit, ut de gratia diuina certus esse possit, nec acquiescit prius, quam istius gratiae confirmationem non ab hominibus tantum, sed ab ipso Deo per Spiritum gratiae & adoptionis indeptus sit. Hoc ipsum nos Servitor noster docet, (Luc. VII, 40 - 43.) ubi duos nobis homines sub similitudine quadam representans ait: *Duo debitores erant eisdem creditori: quorum alter quingen- tos debebat denarios, alter quinquaginta; ii quoniam soluendo non erant, utriusque condonauit.* (εχαρίσατο.) Dic igitur, addit Servitor, *vter eorum plus diligit?* Quo ipso significare voluit, neminem gratiam ex aequo & satis digne aestimare, nisi eam ipso usu & experientia cognitam habeat; immo vero nisi ex utroque statu iuxta se posito, illo quidem, ubi non erat consequitus misericordiam, hoc vero, ubi nunc est misericordiam consequutus, (1 Petr. II, 10.) illam ipsam intelligere & aestimare disscat.

§. IV.

Iustificatio centrum est, ex quo gratia procedit.

Quando igitur gratia Dei animo hominis vere illuxit, ut ex morte peccatorum in CHRISTUM,

STVM, vitam illam, sese translatum ipse sentiat: tum ex hac sui iustificatione coram Deo, qua in Christo peccatorum veniam consequitus, & tamquam *gratiae filius* a Deo adoptatus est, velut ex centro per vniuersum ambitum oculos spirituales, quos ei hic diuinæ gratiæ intuitus concescit, coniicere, & pro data sibi gratia omnes diuinæ gratiæ thesauros & diuitias placido & tranquillo animo contemplari potest. Immo vero mente & cogitatione in omnem æternitatem retro respicere, aut in futuram æternitatem prospicere adeoque cognoscere potest, quod Deus ipsum, pro immensa gratiæ suæ plenitudine, duobus quasi æternæ gratiæ brachiis complectatur atque contineat. Totum etiam animum in præsentem salutem, in quam per fidem & spem iam suscepimus est & collatus, potest intendere. Iam enim accessit ad Sionem montem & Dei viui ciuitatem, Hierosolymam celestem, & angelorum legiones, conuentum cætumque primogenitorum, in cælis conscriptorum, & iudicem Deum vniuersorum & ad spiritus iustorum consummatorum, & ad noui fæderis sequestrum Iesum, & Iustram sanguinem potiora loquentem, quam sanguis Abelis. (Hebr. XII, 22. 23. 24.) Ab hoc centro si haud declinauerit, sed fidem suam æternæ gratiæ in Christo Iesu perpetuo iungendo, Deum, tamquam meram caritatem, quemadmodum in verbo suo sese manifestauit, intuitus fuerit, oculosque suos magna ac submissa cum

simplicitate constanter eo conuerterit: sol gratiæ clarus iudicis ei lucebit, in omnibus splendore suo præbit, animum calefaciet, inflammabit, incendetque penitus amore Dei, ut alacris & imperturbatus per veram, in se numquam non operantem diuinæ gratiæ virtutem atque efficaciam, in viis Domini currat, usque dum in ipso impletatur, quod scriptum est: *Diligentes eum (Iehoua) similes sunt exorientis cum sua virtute solis.* (Iudic. V, 31.)

CAPVT OCTAVVM.

QVOD HOMINI CONTRA DVPLICEM
SATANAЕ FRAVDEM DIMICANDVM
SIT, VT IN GRATIA SIT AT-
QUE MANEAT.

§. I.

Duae periculosisimæ Satanae tentationes.

DUAE periculosisimæ Satanae tentationes, quibus hominem a gratia abstrahere adlaborat, istæ sunt, ut primum homini persuadeat, quod in vera gratiæ luce reperiatur, quum tamen in mediis iregenitæ & minus illuminatae mentis tenebris iaceat, opera tenebrarum faciat peccatoque seruiat. Et his persuasionibus multa millia, immo multas myriades hominum deceptas & laqueis suis irretitas tenet. Hic autem dolus ubi tandem ex sententia non amplius ei succedit, & homo non tantum de statu suo dubitare incipit, an videlicet sub ista peccati seruitute constitutus

de

de diuina gratia bona quæque sperare possit; sed oculi etiam a Deo in tantum ei aperiuntur, ut intelligat, fidem suam & culturam christianismi meram imaginationem fuisse, adeoque a tenebrarum vinculis, in pœnitentia diuinitus effecta & per fidem efficacis virtutis Dei sese expediti, saxo de eius corde ita deuoluto, ut nunc credat & certus sit, *hanc esse veram gratiam, in qua stat:* (I Petr. V, 12.) tum aliam adhibet machinam Satanæ, nullamque non dat operam, ut hominis oculis manus quasi obuerterat, & quibuscumque modis potest, extus & intus eum impedit, quo minus fidei suæ oculum ad cor Dei semper intentum habeat. Neque Satanæ quidquam potest accidere gratius, quam si in hac sua machinazione adiuueretur, & homini fidieli atque in veram gratiam recepto cœlestis sui Patris ac Immanuelis cor suspectum reddatur, eiusque animus metu, horrore & anxitudine rufus repleatur: quo ipso officium Spiritus sancti proprium, quod eo spectat, ut infinitæ ac æternæ gratiæ opulentia animum indesinenter vngat, reficiat, refocillet, amore calefaciat, & indies fecundius reddat, manifesto impeditur.

§. II.

Speciosa hominem fidelem terrendi argumenta.

NEQUE vero Satanæ hac in re speciosa argumenta sive prætextus desunt, quibus homini persuadere satagit, maxime esse necessarium, ut spiritui terrenti aurem præbeat. Quia in re ratio-

hu-

humana vtilissimam operam ei præstare cogitur, vt hominem in diuina pace & tranquillitate turbet, perpetuoque ei dicat: Quid? si forte tantummodo tibi persuaseris, te esse in Dei gratia: fieri posset, vt securus euaderes, si adeo meram gratiam ac caritatem Dei meditari velles; vt immaturius te efferres, confidentia te tua destrueres. Forte Deum hoc ipso tentaueris; Forte nondum veram egisti pœnitentiam; & quomodo pœnitentia quotidiana locum habitura est, si oculos tuos in sole gratiæ ac iustitiæ ita constanter defigere volueris? cætera.

§. III.

Hæc a Satana astute reticentur eo tempore, quo magis essent necessaria.

VERVM audi, ô homo, & considera, quantus dolus & fraus Saranæ sub istis speciosis argumentis lateat. Cur hæc ipsa omnia non eo tempore tibi proposuit, quum vitam securus ageres? Quare tunc alia prorsus lingua vrebatur! Non debere hominem de gratia Dei dubitare; non oportere omnia tam exæcte examinari & cum animo reputari, posse fieri, vt quis hac ratione in nimium mcerorem ac tristitiam incidat & de salute sua penitus desperet; esse Deum mise-

misericordem & lenem, neque omnia
tam exacte & seuere excussum; si nos
adeo pie & sancte vivere possemus,
quamobrem Christum pro nobis mori
oportuisset? cætera.

§. IV.

Quomodo fraus Satanae sit animaduertenda.

NONNE animaduertis, primum suum dolum
in te tum eum adhibuisse, falsoque solatio in
pernicie tua te irretire adlaborasse? Anne etiam
animaduertis, altero eum nunc dolo aduersus te
vti? Posteaquam enim agnita tua miseria, ani-
mo simplice ac integro, quem Deus tibi conces-
sit, sub tui ipsius contemtione & demissione ad
gratiam te conuerstisti, & ex tenebris in lucem
gratiae translatus es: clarissimæ illi luci te rursus
subtrahere, & in caliginosas humanæ rationis ac
arbitrii vias inducere; immo etiam subsidiis pri-
mare gestit, quibus ad salutem pertigisti & quibus
foliis omne cordis tui desiderium porro explere,
& in viis sanctitatis & pacis optime promoueri
atque æternum cum Deo coalescere potes.

§. V.

Quomodo eadem deuitanda.

QVARÈ nec diaboli, nec peruersæ tuæ ratio-
nis, nec alijs cuiuspam, te oppugnantis, qui-
cumque demum is fuerit, suggestionibus ob-
tempera; sed in centro tuo immotus persiste,
oculosque tuos instar aquilæ in solem iustitiae
intende.

§. VI.

§. VI.

*Aliæ Satanae fraudes quomodo depellen-
da.*

Si Satanas aliam decipiendi ineat rationem, tibique ob oculos proponat, quam pierate & virtutibus omnibus emineas, quam feliciter te ipsum nunc possis vincere, quanto hinc reliquis mortaliibus melior sis atque probior: nihil magis eum admitte, sed positis ambagibus breuiter & absolute ei responde: Heic nihil nisi gratia vallet. Nihil nisi agnum Dei agnosco, qui tollit peccata mundi. Tibi, Satan, nec probus sum nec malus, gratia enim locum occupauit: & ego nihil sim, oportet, ut Christus sit omnia in omnibus. Si quid etiam habes, o vana ratio, quod de vitiis meis vel virtutibus edifferas; ei ediffere, qui factus est mihi sapientia a Deo iustitiaque & sanctificatio & redemptio. Propter eum enim didici nihil laudis secundum carnem mihi tribuere, sed in solo Deo eiusque gratia, caritate ac miseratione gloriari.

CAPVT

CAPVT NONVM.

QVAM ARDVVM SIT VERVM ILLVD
ATQVE INTERNVM FIDEI CERTAMEN,
ET QVANTVM INDE EMOLVMENTI AD
HOMINEM REDEAT, SI IN EO IPSO
FIDELEM SESE PRAEBVERIT.

§. I.

*Maximum & summe necessarium fidei
certamen.*

MAGNUM certe, durum & serium certamen est, quod requiritur, ut hominis fidelis anima e centro suo sese dimoueri ne sinat! Omnibus enim modis id agit Satanus, ut eam in falsam lucem reducat. Quem in finem hominis animum pellicit, ut gratia sese efferat, sibi ipsi aliquid tribuat, a solida animi submissione recedat, seque non nihil esse statuat. Quod si homo ab hac parte inimico vult occurrere; ab altera parte timor & terror eum manet, quem non praeuiderat. Felicem igitur hominem, qui vilitatis suæ agnitione in beata simplicitate sua in pace, quæ exsuperat omnem mentem, & in iucundo atque humili puræ gratiæ ac misericordiæ diuinæ conspectu ita firmiter persistit, ut neque ad dextram neque ad sinistram deflestat, & cui gratia Dei omnia in omnibus manet in CHRISTO IESV Domino nostro!

§. II.

Fiducia gratiæ Dei ab ipso Deo summopere laudata ac præcepta.

QVID

Quid igitur mirum, si Deus adeo acceptos habet non eos tantum, qui ipsum timent, sed etiam & præcipue quidem illos, qui in filiali ipsius timore firmiter fundati in misericordia eius sperant. (Ps. CXLVII, II.) Quid mirum, si a Spiritu sancto sæpiissime beati dicuntur, qui in Deo fiduciam suam collocant? (Ps. LXXXIV, 6. XXXIII, 12.) Quid mirum, si fides ὑπόστασις, sive firmum fulcrum & præcipua totius ædificii salutis nostræ columnæ vocatur? (Hebr. XI, 1.) Quid mirum, si ob fidem testimonio fuerunt ornati maiores? (v. 2.) Quid mirum, si Deus tum in veteri tum in novo testamento ex liberorum suorum animis timorem expellit, & si, tamquam in carne adhuc viuentes, eo adficiantur, illis acclamat: **חִזְקָיָהוּ** Confirmare & fortis es: Nonne præcepi tibi? Confirmare & fortis es, ne expaescito neque confundar. (Ios. I, 6. 9.) Deus enim bene nouit, non esse homini de vlla re acris certandum & pugnacius, quam ut a centro, hoc est diuinæ gratiæ & misericordiæ intuitu, in vilitatis ac miseriae suæ agnitione ne dimouetur.

§. III.

Verum internumque certamen eo tendit, ut homo in intuitu diuinæ gratiæ subsistat?

OMNE enim externum certamen, immo si vel maximie internum esse videatur, pro nihilo ducendum, si cum hoc certamine comparetur, in quo tamen strepientia arma non adhibentur, nec magno & externo apparatu hostis vincitur; sed homo

homo ipse in propugnaculo suo manet, & tamquam pupilla Dei custoditur, quam frangere vel lacerare nemo audet vel potest, quamdiu in hoc iugi ac humili infinitæ gratiæ ac fauoris Dei aspectu perseverat. Et ut hoc propugnaculum tamquam turrim suam robustam cognoscere semel didicit, simul atque a Domini Spiritu de aberratione sua admonetur, eo profugit & in edito collocatur. (Prov. XVIII, 10.)

§. IV.

*Duplex victoriae, in hoc certamine partæ,
fructus.*

QVAPROPTER hoc in certamine reliqua certamina omnia comprehenduntur. In quo quisquis fideliter durat, is in nullo alio certamine vincitur. Ecquis enim vincere poterit cum, qui in arce inexpugnabili persistit? Multo autem maius commodum inde redundat, si quis in hac arce manet, quam quod in ea haud vincatur. Non enim frustra Petrus, *mentis occultum hominem cum mitis & quieti animi sinceritate, rem magni in Dei conspectu pretii esse ait.* (1 Petr. III, 4.) Profecto res magni momenti est, tam potentes hostes reprimere, a tam callidis hostibus haud decipi, nec ab eorum multitudine & indefesso impetu superari. Et quis non gaudeat, cui hanc arcem adsignauit Deus, in qua, non obstante tam magno tamque horrendo periculo, considerare potest, fore, ut nullo casu aduerso percutiatur? Verumtamen multo maior beatitudo, quam hæc ipsa, submissæ agnitioni diuinæ gra-

C

ix

triae inest. Nam anima, quæ in hoc centro subsistit, neque vero otiosa in eo est, sed sanctissimam Dei maiestatem adorando diuinæ gratiæ latitudinem & longitudinem & profunditatem & sublimitatem contemplatur, ex plenitudine IESV, tamquam inexhausta gratiæ scaturigine, plus plusque virium accipit, quibus in penitorem immensæ opulentia gratiæ Dei considerationem penetrat; ut adeo in omni certamine vere dici possit: *In his omnibus amplius quam victores sumus.* (ὑπεργενώμεν) per eum, qui dilexit nos, (Rom. VIII, 37.) neque adeo per vlla arma alia, nisi per inenarrabilis diuinæ gratiæ ac caritatis in Christo Iesu cognitionem: qua in cognitione omnis diuina vita, lux & virtus, & a Christo tantopere laudata sapientia infantium, quam mundus non cognovit, (Math. XI, 25. 1 Cor. II, 7. 8.) vere sita est, & animam fidelem ex fide in fidem, ex gloria in gloriam & ex victoria in victoriā dedit.

§. V.

Beata diuina gratiæ contemplatio.

Si igitur anima ita negotiosa est ad oculos fidei in diuinæ gratiæ paradiſo circumferendos: tum in luce diuina intelligit, gratia & misericordia Dei ita sese esse circumdatam, ut nulla vestis hominem adeo vestire, nec aer eum ita circumdare atque replere possit, quam quidem sese gratia & misericordia circumfusam vider. Nam in hoc etiam gratiam anima fidelis perspicit,

quod

quod in Deo viuat, moueatur & sit (Act. XVII, 28.)
 & nunc demum vere dicit cum intima animi
 submissione verum suum Patrem, creatorum, con-
 seruatorem, altorem & defensorem venerari &
 adorare: & quæcumque ex benigna ipsius & pa-
 terna manu accipit, immo quæcumque ei acci-
 dunt, siue iucunda siue amara videantur, ea ac-
 ceptat, vt quæ ex ipsius gratia promanant.

§. VI.

*In iis etiam rebus, que carni aduersæ
 sunt.*

NAM illud ad minimum Satanus ab homine im-
 petrare studet, vt in eo tantum diuinam gratiam
 cognoscatur, si, quæ carni & rationi grata sunt, ei
 obtingant: vt vero Deum vel prorsus non, vel
 saltem non ex animo, de iis lauder, quæ aduer-
 sa videntur & grauia, nec ea accipiat tamquam
 calicem, quem cara Patris dextra ei infudit. Quod
 si anima in hoc etiam Satanam vincit, nec e pro-
 pugnaculo suo se expelli sinit, in amplissimo spa-
 tio collocatur, & latius longiusque circumspice-
 re potest ad infinitæ gratiæ plenitudinem cogno-
 scandam. *Mysterium enim crucis* in hac victo-
 ria magis, quam antea vim quam, ei innotescit.
 Vnde hoc ei commodum reddit, vt per incursio-
 nes, quæ carni adeo graues existunt, non infir-
 merur; sed quo crebrius hostes eius ad eam vo-
 randam & deglutiendam incurront, eo turpius
 cadant fugiantque oportet; eoque maior vis &
 robur conceditur animæ (quemadmodum arbo-
 res per æstatem quidem crescunt, ab hieme au-

tem incrementum etiam percipiunt, dum ramos
emittunt,) ut fructibus iustitiae tanto copiosius
repleatur. Quid quod tum animaduertit, esse
hanc in speciem quidem malam, reuera autem
faustissimam illam horulam, qua optimus amicus
suum ornatum sibi suum induere magnamque
suam virtutem & gloriam ostendere velit.

CAPVT DECIMVM.

DE DVISSIMO FIDEI CERTAMINE,
VBI HOMO SINE VLO GRATIAE SENSV,
GRATIAE DEI NIHIL SECIVS FIDE-
RE, EAQVE INNITI DEBET, ET
QVAM VTILE HOC CERTA-
MEN SIT.

§. I.

*Difficillimum est sine gratiae sensu gratiam
sperare.*

DVISSIMVM fidelis animæ certamen
est, quando Immanuel (*Deus nobiscum*)
celat, quod Immanuel (*Deus nobiscum*) sit; hoc
est, quando gratiae inniti deberet, quum tamen ex
ipsius quidem sensu gratia nulla adsit; quando
in arce sua manere iubetur, neque tamen nouit,
an in arce sit. Anima enim initio non aduer-
tit, quod ratio & sensus cœlestia (in quibus ani-
ma per CHRISTVM IESVM collocata est, vbi
vna cum ipso in vitam reuocata fuit & suscitata)
participare & sub diiudicationem suam vocare
discupiant. Non videt illico, quod homo ex-
ternus

ternus & pars sensualis imaginem, qua sese oble-
 & tet, habere tantopere velit, & quod, si hæc ei
 erepta fuerit, queratur, tamquam qui magna in-
 iuria & dolore adfectus sit. Difficile est, Deum
 agnoscere tamquam *Deum*, qui abdit se & oc-
 cultat, (Ief. XLIV, 15.) & tamen est manetque
 seruator. Quid, quod eam ipsam ob causam
 hæc res ei ad intelligendum difficilis est, quod
 plane aliter adfecta fuit, vbi gratia Dei primum
 in ipsa sese manifestauit. Tum enim pax & gau-
 dium in mente percipiebat, & mens diuino
 solatio exundabat. Hinc anima non poterat non
 statuere, fore, vt in posterum perpetuo eadem
 sorte vteretur, adeoque oculum suum in hanc
 solum gratiam sensualē conuertebat. Quous-
 que igitur Patrem non vidit aliter, nisi saccha-
 rum manu tenentem, eo usque agnoscere eum
 non vult, si alio modo apparet, aut si post parie-
 tem (Cant. II, 9.) sensualitatis eius flat, nec a
 sensibus percipi vult & obseruari. Itaque egre-
 ditur *anima* & querit eum, quem diligit; quæ-
 rit, sed non inuenit eum, & *manus eius* & *digi-
 ti*, quibus eum sensualiter contrrectare & percipi-
 pere cupit, *stillant myrrhinum* ægritudinis; (Cant.
 V, 4.5.) usque dum intelligit, amici sui indolem
 prorsus esse aliam, quam quidem ipsa eam sibi
 finixerit, & discit, quid sit, quod ipse dixit: *Be-
 ati, qui non viderunt & crediderunt;* (Io. XX, 29.)
 & quid sit, cum Abrahamo credere πατέρι
 δα ἐπ' ἑλπίδι, contra spem sub spe; (Rom. IV, 18.)

C 3

quo

quo ipso Abrahamus pater multarum gentium factus est. Tum grato animo immissam sibi agnoscit castigationem, & in nobilissimam atque inestimabilem sui resignationem demittitur, in qua regimini Dei sui sese commendat, & certissime novit, quod, quemadmodum externus in cælo sol nihilo minus sol manet, etiamsi multæ eum nubes oculis nostris obscurum reddant & subtrahant; ita Christus quoque sibi Christus, hoc est, sol iustitiae mansurus sit, a quo lucem, vitam, vires & fecunditatem accipiat, etiamsi secundum externos sensus pulchritudine eius sese oblectari haud possit. Iam non amplius gustui sensuique diuinæ gratiæ intenta est anima, sed vera sui resignationis ansam ipsi præbet indignitatem suam magis magisque agnoscendi, nec ulli homini maiorem, quam quem ipsa percipit, diuini gaudii & voluptatis sensum inuidendi.

§. II.

Hoc ipso virilis evadit & ad imitandum Christum idonea.

HAC experientia tantum abest, ut quidquam propugnaculi sui perdat anima, ut potius discat, quomodo in eodem sese tenere & contra quamvis temptationem defendere debeat. Nunc enim acceptas vires Spiritus omnes in mysterium crucis intendit. Et quum in hoc beatissima eius exercitatio versetur, ut crucem vere diligere & per solum euinque submissum gratiæ Dei in CHRISTO IESV intuitum, sine sensuali etiam perceptione, temptationem superare discat; robur vere viri-

virile acquirit, maiore cum fidei virtute egreditur & ingreditur & vera pascua, vitam videlicet & abundantiam, in CHRISTO inuenit; (Io. X, 9. II.) etiamsi solarium in hoc statu sensibus suis non percipiat, vel certe rarius eo reficiatur.

S. III.

Fidem etiam veterum nunc demuni recte dicit agnoscere.

I AM benedicta ipsi porta aperitur, in qua veterum exempla, in verbo diuino proposita, sa- lutariter considerare potest. Ibi enim in sanctis Dei vere conspicit opus fidei, laborem caritatis, & patientiam spei, (1 Thess. 1, 3.) sub qua illi ad finem usque dimicarunt. Ibi etiam cum insigni fructu res magnas & admirandas contemplatur, quas illi per fidem patraverunt; & in his omnibus inenarrabilis diuinæ gratiæ opulentia in dies augustior oculis eius proponitur. Fidem, non peculiaaria eorum opera externa, imitatur. Submisso agnoscit, se in eadem esse arce, in qua illi fuerunt, in qua non pugnat ipsa, sed gratia Dei quæ cum illa est, pro ea dimicat. Hinc persuasum habet, fore, ut, quemadmodum illi suo loco vicerunt, ita etiam in sorte sua, quæ a Domino ei obtigit, vincat ipsa, neque amplius quidquam requiri, quam ut fida inueniatur. (1 Cor. IV, 2. Luc. XVI, IO. II. 12.)

S. IV.

Alius adhuc fructus spiritualis siccitatis.

IN hac ipsa via Dominum sperare dicit anima, in qua nullo non tempore maxima fidei effica-

cia eiusque confirmata experientia in Deo dilectis hominibus sese exseruit; quod caro & sanguis, quicquid æmulatur, ab ipsis discere numquam potest. Sic in omnium exemplorum exemplo, quod Christus ipse ei reliquit, acquiescit, & nunc vere, vel potius quotidie melius, dicit, quod *IESVM CHRISTVM eumque crucifixum scire, vnica sapientia sit inter adultos.* (I Cor. II, 6.) In hac cognitione in profundam sese dat ac tranquillam meditationem patientis IESV & immensa opulentiae gratiae Dei erga homines, quæ in adiutoriis & angustiis, quibus filium suum vnigenitum submisit, sese manifestauit. Heic de nouo eum amplexatur, qui ipsam ad mortem usque dilexit, & sanguinem pro ipsa profudit, nec caussam ullam amplius videt, cur totam tam fido amico sese tradere dubitet. Si enim tantopere ipsam dilexit, ut quum inimica esset, reconciliata sit Deo per mortem eius, certissime scit atque credit, fore, ut iustificata eius sanguine, multo nunc magis per eum ab ira seruetur: immo, ut nunc multo magis reconciliata & amica Dei facta & gratiam consequita servetur per vitam ipsius. Neque id solum, verum etiam gloriatur de Deo per Dominum suum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepit. (Rom. V, 8. 9. 10. 11.)

CAPVT

CAPUT VNDECIMVM.

QVOMODO INEXHAVSTA OPVLEN-
TIAE DIVINAE GRATIAE IN CHRISTO
IESV PROFVNDAITAS A PAVLO
ROM. V, 6 - 12. DESCIBA-
TVR.

§. I.

*Diuinæ gratiæ opulentia eiusque abundantissimum
solatium explicatur ex Rom. V, 6.*

QVAM immensa est hæc opulentia diuinæ
gratiæ in CHRISTO IESV profunditas,
quod *Christus pro nobis impiis mortuus est!*
Hæc certe pura meraque est gratia. Non enim
nos per sanctitatem & probitatem nostram ita
de Deo meriti eramus, ut nos tantopere diligen-
di, ut filium suum vnigenitum pro nobis in
mortem daret, cauissam villam haberet. Neque
vero hanc sublimem gratiam tantopere mirare-
mur, si tantummodo ista nobis sanctitas & pro-
bitas defuisse, e contrario autem nihil in nobis
exstitisset æterna ira atque execratione dignum.
Ecce autem eos, qui *impii & peccatores & ini-
mici Dei*, & qui in Deum creatorem suum præ-
varicati erant, summus & sanctissimus Deus, qui
ipse tamen ab eis erat offensus, tanta gratia
dignatus est, quacum nulla res in cælo & in
terra comparari potest, eamque non verbis sed
ipso opere in CHRISTO Filio suo præstítit.

C. 5

§. II.

§. II.

Hominem ad veram resipiscentiam & fidem potest perducere.

CONTEMPLARE te ipsum, o homo, etiam si peccata tua tibi maiora, quam ut condonari possint, videantur, contemplare, inquam, te in hac gratia. Valet illa ad frangendum cor tuum mentemque tuam flectendam, ut cum filio prodigo surgens, ad hunc Patrem te conuertas, qui impium & peccatorem tanta miseratione praevinit. Quam efficaciter enim, quæso te, eum conuincit, non tantum per diuitias benignitatis suæ & tolerantiae ac iræ cohicitæ, (Rom. II, 4.) (dum, non obstante omni eius malitia, tam diu in terra cum tolerauit, immo ei, quainuis animum gereret pœnitere nescium, innumera beneficia præstítit;) neque solum per verbum suum & veritatem (quando eximia maximaque promissa iure iurando ei confirmauit, iam tum per se mentiri nescius;) sed etiam per maximam suam, ipso facto & opere præstítam, caritatem: dum pro ipso Filium suum hominem fieri, pati, ac mori iussit; ut ipsum ex orci viætima, quæ ipse peccator est, æterni sui ac infiniti gaudii & gloriæ socium atque consortem redderet. Quam potenter, inquam, per has benignitatis, tolerantiae & iræ cohicitæ diuitias ipsum conuincit, se non delectari ipsius morte, sed velle, ut reueratur a via sua & viuat?

§. III.



§. III.

Et ad fiduciam in Deum.

QVID? Nonne hæc sublimis gratia ab ipsa desperatione & laqueis mortis & orci ad spem atque fiduciam te reuocet? Nonne cogites: Si Deus ita serio de peccatore seruando laborat, sane nec me derelinquet? Coram ipsis adoranda maiestate in puluerem me abiiciam, ex puluere loquar & gratiam eius sperabo. Filium ipsi suum sistam. Hic enim si pro peccatoribus & impiis mortuus est, pro me etiam mortuus est, qui talis fui, & nunc nihil expeto nisi gratiam, quæ impiis & peccatoribus, & quidem non huic tantum & illi, sed omnibus ac singulis ex miseria eos sua eripendi ergo, manifestata est. Si manere vellem, qui fui adhuc, nimurum impius & contemtor, nihil mihi profutura esset gratia. Hoc enim modo gratiae me non esse cupidum declararem: quippe quæ eo primum spectat, ut ex isto statu eripiar atque vindicer. Iam vero ubi perniciem meam, in quam peccata mea coniuncti, ante oculos habeo, peccatumque velut serpentem (vtpote cuius lethiferam sauciationem in conscientia mea cum dolore sentio) fugiens, in eius gratiam, qui in cruce pro me mortuus est, me recipio; merito dico: Deus mi, tuum erga me amorem in eo commen-
dasti, quod, quum adhuc essem pecca-
tor, Christus pro me mortuus est. Hoc igitur me comprehensum amore ex
pro-

profunda fouea mea extrahe. Quem enim in finem tuum commendasses amorem, si me perire sineres? Ex profundo te inuoco, Iehoua, Domine, audi vocem meam: præbe aures attentas voci meæ supplici. Si vitia obseruaueris, Iehoua Domine, quis stabit? Sed est apud te condonatio, ut reuerendus sis. Iehouam spero, sperandi animo promissum eius suspiciens. Animo dominum suspicio a matutinis custodiis ad alteras matutinas custodias. Suspiciat Israël Iehouam; Nam in Iehoua est clementia plurimumque præsidii: Et ipsemet Israël vindicaturus est ab omnibus eius vitiis. (Pſ. CXXX, 1. sqq.)

§. IV.

Valida Pauli thesis, quomodo ex accepta gratia amplior & sublimior gratia concludi debeat.

NON autem hoc solum; sed ita Spiritus gratiae in Paulo infert: *Si CHRISTVS, quum nos adbuc effemus peccatores, pro nobis mortuus est: Ergo multo magis nunc eius sanguine iustificati seruabimur per eum ab ira.* (Rom. V, 6. 8. 9.) Considera quæſo, o homo, & vide, vbi iustificatus es? Vbi sententia mortis in sententiam gratiae commutata est? Ibi, Ibi, inquam, in sanguine Christi, vbi Christus pro te impio mortuus est. *Cum pontifex per suum ipsius sanguinem*

*nem ingressus est semel in sacrarium, quum suum
ipius sanguinem intulit in sacrarium, nactus est
eternam redemtionem & propitiatio factus est
pro tuis & pro tetius mundi peccatis. (Ebr. IX. X.
Ilo. II, 1. 2.) Quum nondum in hanc lucem e-
ditus essem, nec esset dierum tuorum ullus, Deus
iam graria & misericordia sua in te propendebat,
& sententia gratiae in Christi sanguine lata iam
erat. Peccata quidem tua, sed tantum ut sum-
mam tuam miseriam, cum magna miseratione
spectabat; non ut ea propter te perderet iratus,
sed ut ex gratia iis te liberarer. Has diuinæ gra-
tiae diuitias considera, arque ita sanguinem Christi,
ut sanguinem expiationis, specta, quemadmodum
hoc loco eum tibi Spiritus Dei depingit.
Immo te ipsum ita considera, quemadmodum
magni huius diei expiatorii iis tibi permittit: sic
non iratum Deum sed reconciliatum videbis Pa-
trem. *Si non credideris, certe non stabilis eris.*
(Ief. VII, 9.) *Quod si autem in nomen Filii e-
ius vnigeniti creditis, iustus es, & transiisti a mor-
te ad vitam. Atque ideo haec magna caritas,
gratia & indulgentia, in sanguine Christi tibi
donata, manifestatur, ut credas, *Deum esse cari-
tatem, & ut caritas Dei, qua te dilexit Deus, ef-
fundatur in corde tuo per Spiritum sanctum.* (I
lo. IV, 16. Rom. V, 5.) Si vero huic verbo fi-
dem habes, expendas, queso, quæ Spiritus per
Paulum dicat: *Iustificati sanguine Christi* (qua-
do videlicet pro nobis profusus est) *seruabimur
multo magis per cum ab ira.* Hoc multo magis**

(πολ-

(πολλῷ μᾶλλον) non leuem arguit differentiam. Testamentum post mortem ratum est. (Ebr. IX, 16, 17.) Si igitur mors testatoris intercessit ad expiationem commissorum in testamentum primum, per eamdem mortem, qui vocati sunt, promissam hereditatem sempiternam consequuntur, (com. 15. 16.) Et iam accesserunt ad noui fæderis sequestrum Iesum Et lusitalem sanguinem, meliora loquentem, quam sanguis Habelis. (Hebr. XII, 24.) Nisi pro re leui & inefficaci ac nuda umbra habere velimus, quod ipsius magni pontificis nostri sanguis in sacrarium & in conspectum Dei illatus sit.

§. V.

Quod ipsum commate 10. confirmatur & illustratur amplius.

QVAPROPTER longe firmissima & præstansissima est conclusio, quam per Spiritum sanctum infert Paulus: Si Deus tantopere nos dilexit, ut Christum pro nobis mori iussit, quum adhuc tamquam impii, peccatores & inimici maledictioni, sententiae mortis & damnationis subiaceamus; quanto nunc certiores esse possumus fore, ut ab futura ira defendamur, posteaquam iudicium iræ per mortem Christi a parte Dei revera sublatum est, adeoque nos per sanguinem eius Patri reconciliati sumus, ut iram suam in nos haud effundat, sed nobis, si quidem crediderimus, peccata nostra remittat. Quæ conclusio quum adeo valida, & solatum inibi reconditum tantum sit, ut circumscribi nequeat, Spiritus S. noua adhuc & firma conclusione eam confir-

mar

mat atque illustrat. *Si enim, inquit commat. IO,*
hostes quum essemus, reconciliati sumus Deo, per
eius Filii mortem: multo magis reconciliati ser-
vabimur per ipsius vitam.

§. VI.

Vbi Paulus ab efficacitate mortis Christi ad excel-
lentiorum vitae ipsius efficacitatem con-
cludit.

HEIC est, o homo, gratiae ac solatrii gazophylacion. Caue diligenter & prouide, ne quid humus e manibus & corde tuo dimittas. Quid discriminis esse putas inter mortem & vitam, & quidem inter ignominiosam Christi mortem in ligno crucis, & inter infinitam ipsius & cælestem vitam in diuina gloria & maiestate? Vide igitur & considera: Si mors eius tam efficax fuit, quam efficax vita eius non futura est? In quonam autem mors eius efficax erat? In impiis, peccatoribus & inimicis Dei. Hi ipsi sacrificio mortis ipsius Deo reconciliabantur, & sanctificabantur, iusti & amici Dei efficiebantur. Quanta, quæso, vis mortis Christi hæc est? Et hanc ipsam ei Spiritus S. expressis verbis adsignat. Iam ipse infer: Si mors ex inimicis potuit reddere amicos, quid vita longe excellentissima ex amicis iam non redditura est? Si caritas acerbissimæ mortis doloribus sese tradidit, vt e iudicio iræ in gratiæ diuinæ simum nos transferret; quam negotiosam, efficacem & potentem

se

se non præbebit hæc pura, casta & diuina caritas in illis, qui in istis mortis doloribus tanto ipsi constiterunt, vbi eos iam non ut inimicos Dei, sed ut reconciliarios spectat? Et quando sepulchrum & sigilla perrupit, æternamque gloriam ac maiestatem infinitæ vitæ ingressa est, nonne ii, qui per mortem ex inimicis iam amici facti sunt, confidant, fore, ut per hanc gloriosam vitam, in qua caritas, quæ per mortem vicit, nunc æternum triumphat, ab futura ira seruentur? O quam incomprehensibilis & ineffabilis est opulentia gratiæ, quæ est in Christo Iesu!

§. VII.

Gratia non tantum ab ira seruat;

NIHILO tamen secius Spiritus, his omnibus non contentus, pergit com. II. Neque id, inquiens, solum, verum etiam gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem sumus adsequuti. Magna est gratia, quam fides in morre Christi apprehendit, quod ex inimicis amici Dei facti sumus. Maior est gratia, quam fides in vita Christi apprehendit, quod homo nunc Deo reconciliatus multo magis ab ira futura defendatur. Sed multo adhuc maior & excellentior gratia, quam hæc ipsa, in Christo, qui pro nobis mortuus est & resurrexit & ad dextram Dei sedens pro nobis interpellat, donatur. Miseriam nostram si consideremus, in quam nos præcipitauit Adæ defectio, & mortem, quæ in omnes homines peruersit, & in omnes ad æternam condemnationem regnauit, iam tum sat

tis

tis verborum reperiri haud licuerit ad prædicandam caritatem, quæ inimicos suos tantopere dilexit, vt ab omni ista miseria, peccato, morte atque condemnatione liberentur.

§. VIII.

Sed libertatem quoque ac fiduciam præbet gloriandi de Deo per Christum Iesum.

Eccœ autem, gratia & caritas maior est, quam ut inimicitiam, mortem & condemnationem sustulisse, & factam iacturam reparasse satis habeat. Plura donat, quam amissa sunt, & omnia præstantiora reddit, quam fuerunt antea; ita quidem, vt fides etiam eo contendat, vt ipsam Iesu Christi, filii Dei unigeniti, beatitudinem & gloriam consequatur, quæ multo excellentior est ea, quam Adamus in creatione acceptam per lapsum perdidit. Vti ipse Iesus Dominus noster hoc testatur Io. XVI, 21. 22. 23. 24. & Paulus Rom. VIII, 17. Caritas enim eo usque progreditur, vt a se dilectum sortis suæ participem reddat, nec gloriam sibi ullam reseruer, quam non suo modo cum dilecto velit communicare. Hinc fides de rebus excellentissimis gloriatur; quia nihil tam excellsum est tamque gloriosum, cuius per CHRISTVM eiusque caritatem particeps haud fiat. Et quum Deo nihil excellentius sit atque gloriiosius, idcirco de Deo gloriatur, hoc est, de uniuersa caritate, gratia, favore & humanitate Dei, quæ ipsi adeo in Christo donatur, ut amor, quo Christum amat Pater, sit in eo, itemque Christus in eo. (Io. XVII, 26.) Vnde per CHRISTVM & in

D

CHR.

CHRISTO in hac æterna & infinita caritate gloriose triumphat, & omnis benignitatis Dei, omnis gloriæ, beatitatis, gaudii & hilaritatis particeps fit beateque ea perficitur. Et quamquam in hoc mundo haec hominis credentis *vita adhuc abscondita est cum Christo in Deo: nec dum patet, quid sit futurus. Scit tamen, fore, ut quum Christus vita sua patescat, ipse etiam una cum eo patescat gloriosus similisque eius sit, utpote quem tuum cernit, ut est.* (Col. III, 3. 4. 11o. III, 2.) Nique vero de Deo eiusque gloria aliter gloriat, ac per Iesum Christum Dominum suum, per quem reconciliationem natus est; ut ita omnia gratiæ accepta ferat, & omnis eius gloriatio non nisi gratiam, quam consequutus est, euehat & prædicet. Quænam igitur oris facundia eloqui, aut quæ intellectus sublimitas adsequi valet, quid sit *gratia!*

CAPVT DVODECIMVM.

QVOD NEQVE PER LEGEM GRATIA,
NEC PER GRATIAM OBEDIENTIA IN DE-
VM TOLLATVR. ET QVEMADMODVM AB
ABVSV GRATIAE SIBI CAVERE
HOMO DEBEAT.

§. I.

Ipsa lex eo valet, ut gratia tamquam gratia recte agnoscatur.

QVANDO Paulus opulentiam & plenitudinem gratiæ Rom. V. adnuntiat, legis minisse

minisse non prætermittit, quod illa etiam eo valere debuerit, ut *gratia* tamquam *gratia* tanto melius atque dilucidius cognosceretur. Νόμος παρεῖται θεον, inquit, *lex subintravit*, ut *amplificaretur*, (h. e. melius agnosceretur penitusque in animum demitteretur) *peccatum*. Sed *vbi amplificatum* (h. e. tum in fœditare, tum in domino suo ad mortem pro eo ac decet agnatum) est *peccatum*, *ibi υπερπερίσσευσεν*, *superabundauit gratia*, (h. e. ibi etiam *gratia*, utpote *peccato opposita*, multo melius agnoscitur & multo altius in animum demittitur) quomodo videlicet regnet per iustitiam ad vitam aeternam per Iesum Christum. (Rom. V, 20, 21.) Si igitur nihil non, ipsa etiam *lex*, quæ *subintravit* & maledictionem adnuntiauit, eo spectat, eoque subservire debet, ut abundantissima diuinæ *gratiae*, quæ in Christo Iesu est, opulentia agnoscatur; quam eximia ergo quamque excellens res *gratia* sit opertet, & quam vehementer Deum velle hoc arguit, ut *gratia ista* a nobis recte agnoscatur, fide accipiatur & grato animo prædiceretur?

S. II.

Monitum de vitando abusu doctrinæ de gratia.

NEQUE vero Paulus ideo tantum legis mentionem facit, *vbi de gratia agit*, ut intelligamus, ipsam legem eo etiam prodeesse debuisse, ut dignæ bonitatis Dei tanto melius cognoscerentur; sed eam quoque ob causam, quod homo ad do-

Etinæ solatii plenissimæ de pura Dei gratia in salutis nostræ negotio abusum adeo proclivis est, sibique illud, ad animum in carnali securitate obfirmandum, arrogare solet: quod tamē ad perterrefactas & timidas mentes erigendas easque tum de agnita miseria consolandas, tum etiam in serio aduersus peccatum certamine excitandas confirmandasque potius adhibere debebat.

§. III.

In quonam iste abusus confitat.

IN securis quidem & proteruis hominibus finem suum tunc adsequitur concio gratiæ, vbi ab ineffabili caritatis Dei opulentia commoueri sese patiuntur, vt ad se redeant, peccata sua, quibus tam indulgentem Deum offenderunt, deplorent, & ab operibus suis mortuis vere resipiscant. Et hæc etiam gratia est, immo magna & excellens gratia, si gratiæ & immensa Dei caritatis adnuntiatione proterui peccatoris conscientia percelliatur, animus conteritur, & ipse in peccatorum cursu retardatur. At enim vero de hoc ipso iam non est sermo, quando abusus diuinæ gratiæ fit mentio, sed de hoc, quo homo pro carnali, quam gerit, mente, *gratiam Dei* adeo libenter *ad lasciviam transfert*, quemadmodum Iudas com. 3. epistolæ suæ loquitur. Homo enim sibi relictus in transuersum agitur, & quum de gratia verba fieri audit, ideo lætatur, quod per hanc ipsam ab omni obsequio, quo sanctis Dei præcepis aliquin obligatus est, sese solutum & liberatum esse

esse opinatur. Hinc posteaquam Paulus cap. III. ad Romanos firmiter demonstrauerat, hominem sine operibus legis sola fide iustificari, huic falsæ carnalis hominis persuasiōni statim occurrit: *Ergo legem, inquiens, abrogamus per fidem? Absit: immo legem stabilimus.* (Rom. III, 31.) Et quando cap. V. nil nisi abundantissimam gratiæ opulentiam prædicauerat, illorum, qui gratia abuti, falso eam interpretari & ad libidinem transferre cupiebant, cogitationes, quas animo agitant, & verba, quæ ore proferebant, repræsentans, caput VI. ita orditur: *Quid igitur dicemus? manebimus in peccato, ut gratia auctior fiat? Absit: qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viueremus in eodem?* Et quamquam hunc nefandum adnuntiatæ gratiæ abusum firma & solida ratione in consequentibus conuelliit: Semel tamen adhuc com. 15. & sequentibus magnam suam sollicitudinem & circumspectionem ostendit, ne quis in hunc periculosem pugnaretemque cum fundamento fidei errorem incidat, quod gratia Dei, in CHRISTO IESV patefacta, peccandi licentiam nobis indulgeat. Etiamsi enim satis superque abusui occurrisse videatur, quod peccato dominium in eos, qui non sub lege sed sub gratia sunt, diserte abiudicauerat: cauet tamen, ne quis perperam capiat, quid sit *non esse sub lege sed sub gratia* com. 14. Et ait com. 15. 16 *Quid tum? peccabimus, quoniam non sub lege sumus sed sub gratia?* Absit. *An nescitis, cui vos ipsos seruos præbetis obediendo, eius seruos esse, cui*

D 3

obe-

obediatis, vel peccati ad mortem, vel obedientiae ad iustitiam? Et hoc ipsum, nimurum, quod, qui sub gratia est, sub eius dominio sit, ut ab ea se regi & ad viram religiosam duci patiatur: Hoc, inquam, in sequentibus adhuc validius demonstrat, & sanctificationem, tamquam præclarum gratiae Dei fructum & operationem, magnopere vrget. Vnde heic, vbi de gratia actum est, non potui, quin exemplo Apostoli contra abusum gratiae lectors præmunirem. Quemadmodum autem gratia non tantum a malitiis & proteruis hominibus crasso quodam modo, sed ab iis etiam, qui sub gratia sunt, subtiliore quadam & occultiore ratione in abusum abripitur: ita vtrique, & impenitentes & conuersi, eiusmodi admonitione indigent; illi quidem, ne sine penitentia & vera animi immutatione ex Dei gratia solarium captent; hi vero, ne sanctimoniam minori studio ideo se extentur, quod gratia iustificati sint.

§. IV.

Gratia propter abusum haud celanda, sed tanto studiosius inculcanda & explicanda.

NEQUE vero propter abusum gratia ipsa reticenda, sed, quum caro ad eius abusum adeo prona sit, tanto studiosius & fusi ex sensu Spiritus sancti ostendendum est, quæ sit gratiæ vera origo, fundamentum, indoles, virtus & operatio; in primis, quis sit eius scopus, & quem in finem Deus eam manifestet donetque, nimurum, non ut homines, ea donatos, longius a se arceat, vel

vel mundo, carni suæ & diabolo eo impunius seruendi, nullatue peccati ratione habita, gratiam ad proteruiam & lasciuiam transferendi Deumque tanto audacius offendendi licentiam eis concedat; (Rom. VIII, 12.) sed potius, quod ideo istam gratiam largiatur, ut per benignitatem eos trahat, (Ier. XXXI, 3.) e potestate Satanæ, mundi & carnis erexit in regnum Filii sui transversat, (Col. I, 13.) ut hic eos ad imaginem suam renouet & sanctificet, atque per Spiritum suum in semitis Dei ducat; quæ non peccatum, sed clementia sunt & veritas, ut ita (non mundus, nec diabolus, nec venter, sed) Deus in Christo Iesu Deus eorum sit, & ipsi populus eius sanctus & dilectum peculium existant. Vnde tamquam genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitus, in omni conuersatione virtutes predicare debent eius, qui eos e tenebris in lucem suam admirabilem vocavit, (I Petr. I, 15. 16. sqq. c. II, 9. 2 Petr. I, 3.) & canere benignitates Iehouæ, (Ps. LXXXIX, 2.) quæ certe tantæ sunt, ut, si diu cantatae fuerint & prædicatae, ramen vix initium enarrandi & celebrandi eas factum sit.

§. V.

Alia gratiae consideratio.

Quāmvis igitur neque nos de gratia, quantum satis est, heic loquuturos omniaque exhausturos esse, statuamus, vna tamen adhuc consideratio haud prætereunda fuerit, quam Paulus itidem, ut antecedentem, suppeditat, & quidem

ad Romanos cap. VIII, 1. 2. Nulli igitur, inquit, damnationi sunt obnoxii, qui sunt in Christo Iesu, qui non carnis, sed Spiritus arbitrio parent. Nam lex Spiritus vitae, quæ est in Christo Iesu, liberavit me a lege peccati & mortis. Per gratiam homo in Christi Iesu, omnisque salutis ac gratiæ, quæ in ipso est, communionem recipitur. Per gratiam Spiritus Iesu Christi fit particeps. Per gratiam idem Christi Spiritus ex emortuo & ad nullam rem bonam apto Deoque quasi mortuo homine viuum nouumque facit hominem, in corde, animo & omnibus viribus; ex captiuo legis peccati & mortis liberum facit a lege peccati & mortis: ex ambulante ad carnis arbitrium ambulantem ex arbitrio Spiritus, in quem nulla ira, nullum iudicium, nulla cadit condemnatio, sed potius gratia misericordia & pax confertur.

§. VI.

Beatitas status gratiæ.

O FELICEM igitur & perbeatum hunc gratiæ statum! Pater, Verbum & Spiritus sanctus, utpote tres testes in cœlo, qui tamen unum sunt, de huius status beatitate testimoniantur. In Iedidiah, h. e. Christo, dilecto illo Dei filio, in quo acquiescit Pater, (Matth. III, 17.) heic omnes carissimi filii sunt filiaeque (Eph. I, 6. c. V, 1.) Ipse Pater amat eos, qui amant Filium, & credunt, eum a Deo prodigiisse. (Io. XVI, 27.) Ipse emitit Spiritum Filii sui in eorum omnium corda clamantem Abba, id est, Pater! (Gal. IV, 6.) Pater eos heredes suos facit, & Filius coheredes, & ar-
rabo

rbabo hereditatis in ipsis est Spiritus sanctus.
(Rom. VIII, 14. 15. 16. 17. Eph. I, 13. 2 Cor. I, 22.)
Quis hunc iucundum gratiae & amoris lusum sa-
crosanctæ trinitatis deuota satis mente contem-
plari & satis acuta ingenii acie perspicere potest?

CAPUT DECIMVM TERTIVM.
QVOD GRATIA SVB MYSTERIO CRV-
CIS IN HAC VITA ABSCONDITA, ET
INIBI PRAESTANTISSIMA SIT.

§. I.

Gratia sub cruce occultatur.

HAEC gratia, de qua haetenus egimus, &
 quæ omnem cognitionem ac rationem longissime
 superat, sub mysterio crucis omni rationi
 & omnibus sensibus quasi occultatur & abscondit
 ur. Vbi quæso gratia est, quando dicitur Ps.
 XLIV, 10, seqq. *Tu nos repulso adficias ignominia*
neque cum nostris copiis egrederis. Nos hosti ver-
tere terga cogis, ab osoribus nostris diripiendos.
Nos pro comedendis ouibus habes per ceteras gen-
tes dissipatos. Tuos sine villa utilitate vendidisti,
nihil ex eorum pretio auctus. Nos vicinorum
probris, finitimorum derisioni & ludibriis exposu-
isti. Nos gentium dicteristi, nationum fannis
obiecisti. Adsidue nobis obuersatur nostra turpi-
tudo, vultusque pudore velamur. Propter male-
dorum conuiciatorumque voces: propter hostes
& infestos. Haec oznia patientes non tamen tui
fumus immemores, fædusue tuum violamus. Non

mentibus retrocedimus aut gressibus de viis tuis
deslectimus. Quum tamen nos coniectos in fera-
lem locum tetra nocte operias. Quod si Dei nostri
nomen oblii, manus ad alienum Deum porrige-
mus: esset quod id Deus animaduerteret, qui
montis arcana nouit. Sed tua causa occidimur
quotidie; & pro ouibus lanienae ducimur. Exci-
tare, cur dormis Domine? expurgiscore, ne nos
perpetuo reiicias. Cur vultum tuum abdis, im-
memor nostræ miseriae & calamitatis, qui humili-
pessundati, pectoribus adheremus terre?

§. II.

Neque tamen definit esse gratia.

Ex hac ecclesiæ, externe persequitioni & in-
ternæ tentationi subiacentis, descriptione Paulus
Rom. VIII, 36. vnam tantum sententiolam excer-
pit, *Quemadmodum scriptum est, inquiens, tua
causa necamur quotidie, pro lanionizis ouibus du-
cimur.* Quæ verba talem animæ statum depin-
gunt, in quo criteria gratiae omnium minime
conspiciuntur, nec eorum vestigium ullum repe-
ritur. Ecquid vero dicit? An illic gratia gratia
esse definit? Num gratia in iram & indignatio-
nem mutata est? Minime gentium. Paulus tum
demum gratiam valide describere incipit, eamque
sublimiorem & præstantiorem fistit, quam ullus
mortalium sibi eam proponere ausurus fuisset,
nisi Dei Spiritus eam ita adnuntiasset.

§. III.

§. III.

Sed a Paulo tum quam præclarissime descripta est, ubi ratio illam omnium minime perspicit.

PRAETER QVAM enim, quod ad diuinum nos ordinem remittit, quo cum congruit, ut cum eo patiamur, si cum eo glorijs fieri velimus: (com. 17.) preterquam quod nobis proponit, quam breues leuesque sint nostræ perpessiones, si cum grauissima gloria, in nobis reuelanda, comparentur, (com. 18.) & quam istius magnæ gloriæ patefactionem rerum natura nobiscum anxie suspirans exspectet: immo vero quam & ipsi, qui primitias Spiritus habent, intra se ipsos suspirant, & redemtionem corporis sui exspectent, (com. 19. 22. 23.) præter hæc omnia, inquam, quæ in consolationem nostram adfert, ad ea nos remittit, quæ in sacrosanctæ diuinitatis consilio nostrarum tam internarum quam exteriarum perpessionum cauſa agantur.

§. IV.

Gratia Patris cœlestis in immittendis afflictionibus.

Qui afflictiones nobis immittit, is est, qui Spiritum adoptionis ipse nobis concessit, ut ipsum *Abba, Patrem* appellemus, quemadmodum Isaacus, Christi passiones præfigurans, Abramum *patrem* vocabat, (Gen. XXII, 7.) & Christus ipse in durissimo certamine suo Isaaci typum iam complens, eodem modo dicebat: *Abba Pater.* (Marc. XIV, 36.) Quam igitur sublime & quam

quam sanctum consilium hoc est, ut *quos* hic æternus Deus & Pater præuidit, eos etiam destinavit *imaginis Filii sui*, (per passiones gloiam ingressi.) *consimiles*, ut *is sit in multis fratribus primogenitus*. (Rom. VIII, 29.) O quanta hæc diuinæ caritatis excellentia est? Quæ, quæso, caritas tam pura, tam casta, tam tenera esse potest, quam ista caritas, qua Filium suum vnigenitum complectitur Pater cælestis? Et quamquam ita eum ab æterno dilexit, tamen ipse Christus singulari cum emphasi de amore loquitur, quo Pater ipsum suus propter spontaneam sui humilationem, & propter susceptas in se perpeſſiones dilexit. Ideo, inquit, *Pater me diligit*, quia *animam meam pono, ut eam resumam*. Hoc puro, casto & tenero amore nos etiam dignatur æternum Dei propositum, quando Filius sui patientis imagini nos conformes reddit, ut ne *ſuppoſitio-*
tii & *ſpurii* sed veri ipsius filii simus. (Hebr. XII, 8.) & ipse nos æterno amore complectatur, quo Filium suum vnigenitum complectitur. (Io. XVII, 23, 26.)

§. V.

Rationi incomprehensibilis.

QVANTVMVIS ratio hoc Dei consilium minus capiat, qui ipsius amor permittere potuerit, vt Filius adeo perpeſſionibus tradetur, vt a Patre suo se desertum esse queri necesse haberet: (vnde etiam *sapientia Dei* dicitur in mysterio occulta illa, quam præſinit Deus ante ſacula ad gloriam nostram, quam nemo principum huius ſeculi

seculi cognouit.) (1 Cor. II, 7. 8.) tamen homo, gratia & Spiritu Dei collustratus, mirabundo gratoque & submisso animo agnoscit, gratiam & caritatem nullis verbis exprimi posse, qua inductus Deus tantopere ipsum dignetur, ut Filio suo in afflictionibus etiam conformem efficiat. Ratio eas duntaxat perpessiones, quae in oculos incur- runt & sub sensus cadunt, carnique graues exsi- stunt & molestae, spectat; sed nec necessitatem nec vultatem afflictionum perspicit, neque adeo intelligit, quod, *Si quis, dum recte facit, & tam- men patitur, sustinet, hoc gratia sit apud Deum.* (1 Petr. II, 20.) Quando autem Deus caritatem suam in mente effundit per Spiritum sanctum, tum quidem afflictiones proris aliam induunt faciem, & tum demum homo cognoscit, quod omnes afflictiones, a dextra Patris immislas, sibi ad bonum conferre, in primis autem ad sanctifica- tionem adiumento esse, iisque, qui per eas fuerint exercitati, salutarem iustitiae fructum red- dere, oporteat. (Rom. VIII, 28. Ebr. XII, 10. II.) Et is, cuius ex aeterno gratiae ac caritatis ple- no consilio afflictiones nostrae profiscuntur, aeternae hereditatis *νειμηλίον* ob mentis nostrae oculos proponit, confirmat nobis & conservat vi- vidam spem, & pro diuina potentia sua patien- tiam nobis suppeditat, ut diuinæ ipsius gloriæ manifestationem possimus exspectare.

§. VI.

§. VI.

Manet tamen gratia.

NONNE id mera gratia & fauor gratuitus est? Si afflictiones a Patre immittuntur; si ex tam sublimi amorisque plenissimo consilio proficiscuntur; si ipse Deus in illis nobis præsto est, etiam sublimi tamque diuino modo patientiam in nobis operatur, ut tolerare valeamus: quomodo igitur gratia sub afflictionibus gratia esse desineret?

§. VII.

Spiritus S. gratia, que sub afflictionibus in nobis sese exserit.

NON solum autem hoc; sed Paulus ita pergit: *Adde, quod Spiritus quoque nostris succurrat infirmitatibus.* Nam quid oremus, ut fieri oportet, nescimus: sed ipse Spiritus pro nobis suppli-
cat gemitibus ineffabilibus. *Animorum autem indagator nouit, que sit Spiritus adfæctio, quæ quidem sic, ut Deus postular, pro sanctis oret.* Heic porro submissa & sancta cum admiratione considera, quid in sanctæ deitatis consilio geratur, & quam immensa gratiæ ac caritatis opulentia adsit, vbi ratio omnium minime capit atque cogitat.

§. VIII.

Quando fidelium causam, tamquam aduocatus eorum, agit; & velut mater eos solatur.

HOMO in hoc mundo, sub afflictionibus & cruce

cruce constitutus, orphano, viduæ & infanti similis est. Ita eum non aliis tantum in locis, (Ps. LXVIII, 6. Ps. CXLVI, 9. Io. XIV, 18.) sed hoc etiam loco (Rom. VIII, 26.) representat scriptura sacra. Quemadmodum enim inops pupillus, infans infans, & deserta vidua calamitates suas persentisunt atque gemunt, sibi vero consulere & succurrere ipsi nequeunt: ita etiam cum fidelibus Dei liberis sub cruce, quam Christum secundo portant, comparatum est. Quemadmodum illi loco congruo verba facere nesciunt, prout necessitas, qua premuntur, exigit: ita nec Dei liberi norunt, quid & quomodo orandum sit, ut oportet. Si vero istiusmodi impuber orphanus & derelicta vidua prudentem, religiosum & fidum caussidicum, vel potentem patronum aut idoneum tutorem, qui eorum caussam, tanquam suam ipsius, studiose atque diligenter agat, habeant: melius ipsis consultum fuerit, quam si ipsi verba facere & caussam dicere potuissent. Iam vero unicus ex veris Dei liberis sapientissimus, piissimus, suauissimus & potentissimus aduocatus, patronus & tutor constitutus est, nimirum idem Spiritus sanctus, qui testatur una cum spiritu eius, quod sit filius Dei. (Rom. VIII, 26.) Hic Paulus dicitur ὁ ὑπερέντυγχάνων ὑπὲρ ὑμῶν, qui excellentissimo, rationi & sensibus incomprehensibili & plane diuino modo, pro nobis intercedit; siue qui caussam nostram, quemadmodum tutor impuberis sui pupilli cauf-

sam,

sam, agit, immo qui multo maiorem nostri curam gerit, quam tenelli infantis sui mater, & quauis premente necessitate, succurrat, ne quid nobis detrimenti inferatur. *Quæ enim sursum est Hierosolyma* (per quam non immerito virtus Spiritus sancti regenerans & viuificans intelligitur) *est mater omnium nostrum.* (Gal. IV, 26. 10. III, 6. Apoc. III, 12. Matth. III, 16. Gen. I, 2.) Quisquis ex hac matre, nimirum ex Spiritu, genitus est, is hac etiam matre tamquam matre gaudere potest. Hinc Christus, posteaquam discipulis suis promiserat, se rogaturum Patrem, ut alium eis det aduocatum, qui cum ipsis perpetuo maneat, nimirum veritatis spiritum, addit: Non relinquam vos pupilos, inuisam vos. (Io. XIV, 16. 17. 18.) Quasi diceret: Qui Spiritum sanctum accipit, is non est amplius orbus & derelictus, sed Spiritum sanctum quasi veram suam & blandam habet matrem. Neque ille Spiritus sanctus sine me solus venir, sed ubicumque ille mansionem facit, ibi & Ego & Pater (com. 23.) quoque mansionem facimus, ibi Pater se conspiciendum prebet & Filius, ibique nihil est, nisi templum Dei viuentis, verus paradisus & verum cælum. Ibi vere impletur illud: Ut aliquem sua solatur mater, sic (non tantum ut caussidicus, aduocatus & patronus vel etiam tutor) ego vos solabor Hierosolymæ solandos. (Ies. LXVI, 13.) Et quamvis de noua Hierosolyma & de manifestatione gloriæ filiorum Dei hoc loco loquatur Iesaias (quemadmodum ex antecedentibus facile intelligimus) heic

heic autem tempore afflictionis, vbi s̄epissime
foris sunt pugnae, intus metus, (2 Cor. VII, 5.) consolatio omnium minime sentiatur: hoc tamen
 gratiae, quam per Christum vere consequiri sumus, excellentiae non derogat; quia fides thesau-
 rum-suum etiam heic vere & certo, et si in oc-
 culto tantum, possidet, qui vero postea, vbi Chri-
 stus, certamine illo praeclaro decertato cursuque
 peracto, se manifestabit, in nobis etiam in ipsis
 gloriam manifestabitur. Gloria enim non ad
 praesens tempus pertinet, vbi *per fidem ambu-*
landum est, non per adspectum gratiae, (2 Cor. V,
 7.) quae in Christo est. Interim vero, quum
 homo in mediis afflictionibus constitutus ni-
 hil nisi crucem, infirmitates, calamitates & miser-
 riam sentiat, & tantum gemitus, fletus & rugi-
 tus in eius animo existant, Spiritus sanctus haud
 otiosus est, sed pro ipso efficacissime orat, subli-
 mi quadam & diuina ratione succurrit, & omnia
 in bonum conuertit. (Rom. VIII, 26. 28.)

§. IX.

Cum ipsis una suspirat, συγενάζει.

VIDE queso, quanta haec est gratia, quam
 flagrans, quam tener, quam maternus adeo hic
 est amor! Quotusquisque aduocatus, patronus &
 tutor tanta caritate in eum propender, pro quo
 dicere & cuius caussam agere instituit, ut intima
 eius miseratione adficiatur, res eius aduersas tam-
 quam suas ipsius percipiat persentiatque, vtque
 illo suspirante suspiret? Ea autem veræ matris

E indo-

indoles est, quæ ab aliis cuiusdam, quæ non est vera mater, indeole nullo negotio discerni potest, (vt iudicio Salomonis videre est,) *ut affuent viscera erga filium,* (1 Reg. III, 26.27.) si quid aduersi accidere ei velle videt. Quando igitur Spiritus sanctus se ipsum, tamquam veram liborum Dei matrem, aptissimis verbis a Paulo de pingi voluit, non tantum *κλίσιν* sed se quoque cum liberis Dei suspirantibus suspirare, testatus est.

§. X.

Et eiusmodi suspiriis ineffabilibus pro eis supplicat.

Vt autem simul intelligamus, suspiriorum ipsius rationem non esse talem, qualis naturæ & rebus creatis competit; sed a suspiriis filiorum Dei maxime esse diuersam, illisque multo quid sublimius & excellentius: ideo Paulus ea non tantum suspiria inenarrabilia vocat; sed illis etiam tribuit, quod filiorum Dei suspiriis nulla ratione tribui poterat, nimirum quod pro filiis Dei, modo omnem rationem & sensum omnem que rei creatæ captum excedente, *ὑπερεντυγχάνει*, insuper supplicet. (com. 26.) Quis, queso te, ille *ὑπερεντυγχάνων*, supplicans? Nonne ipse Spiritus S. est, qui *vna cum Patre & Verbo in celo testificatur*, (1 Io. V, 7.) ab utroque, quod ad personam diuersus, quod ad essentiam autem cum utroque unus? Quid igitur ista eius suspiria? Hæc quantumuis sint aliquid supernaturale immo su- per-

per celeste, tamen veri quid sint, necesse est. Nonne est is, quem nobis mittit a Patre Filius, *Spiritus ille veritatis, qui ex Patre exit?* (Io. XV, 26.)

§. XI.

Quid sint ista suspiria.

Quid igitur ipsius suspiria sunt, nisi paterni in Deo animi agitatio & inexhausti maris caritatis iactatio, de qua ipse Deus dicit: *Perstrepunt viscera mea, omnino ex intimis visceribus meis miserebor.* (Ier. XXXI, 20.) Vel si ineffabilia Spiritus sancti suspiria aliquid adhuc sunt altius, (ut enim ineffabilia, ita prorsus etiam inscrutabilia, inexhausta & incomprehensibilia sunt:) negari tamen nequit, quod sint infiniti amoris materni Spiritus S. in eos, qui ex ipso geniti sunt, effectus & operatio, maxime si miseriis premantur & ærumnis, ut eos inde eripiat, quo Dei gloria in ipsis manifestetur. Non enim est amor, qui in nuda propensione & fauore sive sola benevolentia consistit, sed diuinus est diuinusque modo operans amor & miserario.

§. XII.

Tres diuersi amoris materni Spiritus sancti actus.

PAVLVS apostolus cum emphasi tres actus adnotat, qui in hoc amore & per eundem fiant. *Spiritus sanctus,* inquit,

- 1) *suspirat, σεράζει.*
- 2) *supplicat, ὑπερεντυγχάνει.*
- 3) *una subleuat, συναντιλαμβάνεται.*

E 4

Suspi-

Suspirat in eo; supplicat coram Deo seu in sanctae deitatis consilio; una subleuat, dum ipsius supplicatio, coram Deo inenarrabilibus suspiriis facta, modo rationi quidem & sensibus incognito, vero tamen & saluberrimo, homini prodest, eique in ferendis afflictionibus, si vel omnes naturae vires longissime superent, auxilium suum praebet; immo omnibus viribus eo contendit, ut illico preteriens levitas afflictionis, excellenter excellentis gloriae pondus aeternum conficiat iis, qui non spectant ea, quae cernuntur, sed ea, quae non cernuntur. (2 Cor. IV, 17. 18.) Ipse Pater caelestis, utpote Deus tolerantiae & consolationis filios suos in portando graui crucis ligno, ab una quasi parte comprehenso, adiuuat, dum patientiam in ipsis operatur, ut per fidem & patientem animum hereditario iure obtineant promissionem. (Rom. XV, 5. Ebr. VI, 12. 15.) Quanta haec gratia! Ecce autem, Spiritus sanctus, ab altera quasi parte illud comprehendens (συναντιλαμβάνεται) portantibus fideliter succurrit, & (per patientiam) exspectantibus Iehouam robur innouat, ut adscendant pennis velut aquila: currant, neque defatigentur; pergant, nec defetiscantur. (Ies. XL, 31.)

§. XIII.

Quorum beneficio credentes in omni certamine exsuperant.

QVAM, quæso, excellens haec est gratia! Quid igitur mirum, si Paulus, rebus ita fæcere habentibus, exclamat: In his omnibus exsuperamus

(ūπερ-

(*ὑπερβινῶμεν*, plusquam vincimus,) (Rom. VIII, 37.) Certamen tantum esse nequit, nec hostes tot esse possunt, qui castra metantur contra nos, quin in multo maiore certamine durare multoque plures hostes vincere possemus. Satis longo eos interuallo post nos relinquimus. Vnde autem hoc existit in tanta imbecillitate, fragilitate & miseria, in qua, dum in carne adhuc viuimus, sumus? Qui fieri potest, ut homo non in una tantum calamitate & miseria, sed in his omnibus, etiam si vniuersis simul miseriis, quae vel excoxitari possint, prematur, exsuperet? Quid vero mirum? Pater celestis ab altera, ab altera vero parte Spiritus sanctus ferentem adiuuat. Quatamen in re humano tantum more loquimur, ut verborum Apostoli emphasis ostendamus, & infirmo nostro captui, ad percipiendam ampliorem mysterii diuinæ gratiæ cognitionem, operam aliquam præstemus. Hisce enim omnibus studiose diligenterque condocemur, in certamine & afflictionibus rem non humanis sed diuinis geri viribus. Homo sub afflictionibus certans victoriā non parit, sed Deus eam parit ipsiusque Spiritus. Vnde ista victoria per τὸ *ὑπερβινῶν* exprimitur, & longe est amplissima. Qualis enim virtus est, talis & victoria est.

§. XIV.

Hæc omnia non extra hominem, sed in ipso sunt.

Vbi vero hæc sublimissima & excellentissima

E 3

Spi-

Spiritus sancti gratia sese exserit? Vtrum in homine, an extra hominem? *An nescitis*, inquit Paulus, *vos esse templum Dei & Spiritum Dei habitare in vobis?* (1 Cor. III, 16.) Si igitur homo Dei templum est & habitaculum, quomodo inenarrabilia Spiritus sancti suspiria extra hominem, & non potius in homine fiant? Ibi sunt, ubi regnum Dei & regimen est, nimis in cordibus & animis fidelium.

§. XV.

Quo Paulus etiam nos remittit.

Eo etiam Paulus nos remittit, quando de inenarrabilibus suspiriis Spiritus sancti loquitur. *Qui vero*, inquit (com. 27.), *scrutatur corda, nouit, quid sapit spiritus, quia secundum Deum intercedit pro sanctis.* Proinde Deus non tantum filiorum suorum corda scrutatur, sed etiam scrutatur, quid sit *Φρόνημα τῶν πνεύματος*, quid *sapiat Spiritus* in illis, & quomodo non tantum Spiritus ipsorum, sed ipse etiam Spiritus sanctus in ipsis suspireret. Quae quidem suspiria non efferuntur, nec per certum sonum vel verba exprimuntur, at a Deo cordium scrutatore nihilo seius optime intelliguntur, quomodo ipse Spiritus sanctus pro sanctis, hoc est, per sanguinem Christi Deo in fide consecratis, modo diuinæ caritati, sapientiae ac maiestati conueniente, adeoque Deo probato per hæc ipsa suspiria supplicet.

§. XVI.

§. XVI.

*Infinitas gratiae Dei diuitias nemo, quantum sat
tis est, agnoscere potest & verbis exprimere.*

*Q*uis vero has infinitas gratiae Dei in Christo Iesu diuitias cogitando vel fando adsequetur? Etiamsi quis omnia scripturæ sacræ loca, quæ villo modo de gratia agunt, inuestigauerit, eorumque argumentum, vim & emphasis percipere studuerit: non quidem hoc infructuosa sed utilissima futura esset occupatio; nihilominus tamen certum est, fore, ut ne millesimam huius infiniti Dei thesauri partem meditatione sua adsequatur.

§. XVII.

Precatio de cognoscenda & percipienda hac diuina gratia.

TIBI, o scaturigo omnis gratiae ac miserationis, sit laus & honor nunc & æternum, quod te nobis miseris mortali bus non intercludis, sed pro tua immutabili & æterna caritate in arida nostra & languida corda sponte influis, & te nobis gustandum præbes. O si sanctæ os cupiditatis quam maxime dilatamus, vt gratia tua illud impleas! O si in nobis omnis, non manifesta solum sed nobis occulta etiam repugnantia, quam in cordibus nostris offendit Spiritus tuus, & omnis sensuum nostros

rum in externis huius mundi rebus dissipatio , tandem cesset , vt in gratiae tuae oceano nos penitus demergas , quemadmodum amphora in aqua demergitur , vt vndiquaque superfluat . Largire nobis gratiam , vt heic in regno gratiae viuentes non alium cibum cupiamus , nisi eum , qui solus ad animarum nostrarum nutrimentum & confirmationem facit , nempe gratiam tuam , vt ad regnum gloriae recte præpareremur , vbi electos tuos sola gratia & amore tuo æternum satiabis & consolationibus tuis sine modo refocillabis . Amen !

*CAPVT DECIMVM QVARTVM.
CHRISTVM NON TANTVM ESSE
PLENV M GRATIAE, SED PLENVM ET-
IAM VERITATIS. DE VARIA HVIVS
VOCABVLI SIGNIFICATIO-
NIBVS.*

§. I.

*Gratia & veritas a se inuicem non separan-
da.*

QVID vero hoc , quod audiuimus supra , Christum non solum plenum esse gratiae sed etiam veritatis , per eumque non solum gratiam , sed gratiam & veritatem præstitam esse ? Hoc

Hoc ipsum nos docet, quod, quemadmodum iam meminimus, *gratia* quidem primum locum obtineat, adeoque, si Christum cognoscere cupiamus, salutisque nostrae habeamus rationem, oculos nostros in eam primum intentos esse oporteat; neque vero ideo de *veritate* minus solliciti esse debeamus. Similiter, quod quidem inter *gratiā* & *veritatem* ex, vſu scripturæ sacræ bene *distinguere* possimus, quod autem vtraque in Christo coniunctim reperiatur, adeoque altera ab altera *separari* haud debeat. Et quidem ut hoc in ipso CHRISTO fieri nequit, quippe qui plenus est gratiæ & veritatis; ita nec in nobis fieri potest, si alioquin Christi participes facti sumus, & vera ipsius membra existimus. Ideo enim Spiritus sanctus dicit, quod per ipsum gratia & veritas praestita sit, ut nemo non intelligat, omnem consolationem, quam quis ex gratia capere gestiat, a parte sibi eam applicantis falsam esse & fictam, nisi cum *gratia veritatem* coniungere studeat.

§. II.

Quid veritas sit, paucissimi hominum intelligunt.

NEQUE vero mirari debemus, quod Pilatus Iesum rogauit: *Quid est veritas?* (Io. XVIII, 38.) Quid enim sit veritas, non tantum hic cæcus ethnicus ignorauit, sed hodie etiam paucissimi eorum, qui de nomine Christi appellantur, intelligunt. Quamobrem variæ huius vocabuli si-

gnificationes ex scriptura sacra non sine fructu indicari potuerint, quandoquidem hoc eo valet, ut, quid sit veritas, melius percipiatur. Interim unusquisque persuasissimum habeat, quod, nisi spiritum veritatis ipse recipiat, ab eoque de veritate erudiatur & conuincatur, numquam, quid sit veritas, vere intellecturus sit.

§. III.

Vulgaris significatio vocabuli Veritatis.

SUNT vero vocabuli *veritatis* in scriptura sacra varie significationes, perinde ac significaciones vocabuli *gratiae*, quas supra enarrauimus. Vulgaris significatio in vita communi haec est, quem per veritatem *conuenientia sermonis & cogitationum cum re ipsa, de qua quis loquitur vel cogitat, intelligitur.* Et haec significatio in multis scripturæ sacræ locis obvia est; Exempli gratia Deut. XVII, 4. *Si id vos auditione acceptum diligenter inquirentes, VERVM certumque esse & id scelus in Israëlitis commissum compeneritis, cætra.* (Vid. etiam cap. XXII, 20. Io. V, 31. 32. Tit. I, 13.) Quamuis autem haec istius vocabuli significatio in vita communi fere vñica sit, & nemo fere per veritatem aliud quidpiam, quam conuenientiam sermonis & cogitationum cum re ipsa intelligat; in scriptura tamen sacra prorsus aliter comparatum est. Ibi enim vocabulum *veritatis* ut plurimum non tantum multo ampliorem, sed etiam sublimiorem & excellentiorem significatum habet.

§. IV.

§. IV.

Varii eius significatus in scriptura sacra.

SI enim consideres, in qua significatione hoc vocabulum Deo tribuatur, deprehendes facile, non tantum hoc ipso indicari, quod Deus *verax* sit generatim in *verbis suis*, (1 Sam. XV, 29. Num. XXIII, 19. Ps. CXIX, 160.) & speciatim in *vaticiniis*, (Ies. XLVI, 11. cap. XXXIV, 16.) in *promissis*, (Ps. XXXIII, 4. Ier. XXXII, 42.) & *comminationibus*; (2 Reg. X, 10. Dan. IX, 12.) sed etiam, quod sit verax in *consiliis & decretis suis*, (Iob. XXX, 14. Ies. XIV, 24. 27. cap. XLVI, 10.) in *operibus suis*, (Deut. XXXII, 4. Dan. IV, 34.) et, quod fundamentum omnium est, in ipsa *essentia sua*: (Io. XVII, 3. 1 Io. V, 20. Ier. X, 10.) Atque ita etiam Filius verax est in verbis suis, *cœptis, operibus & essentia, perinde atque Pater.* (1 Io. V, 20. Io. VIII, 26. Ps. CII, 26.)

§. V.

Quemadmodum Christus sit plenus veritatis.

PORRO vocabulum veritatis sëpe veram doctrinam significat, (Ps. CXV, 2. Io. VIII, 45.) quo sensu omnem doctrinam, hominibus diuinitus datum, complectitur. Quando vero Ioannes legem per Mosen datum, gratiam vero & veritatem per Christum præstitam esse dicit: *tum veritas vmbrae legis præcipue opponitur.* Per Christum enim vera iustitia & sanctitas facta est, & ipse tamquam unicum, verum & æterno validum sacrificium, in quo vmbrae nihil est, pro nobis fese tradidit. Deinde veritas promissa, tamquam complementum

tum

tum eorum, opponitur: ut adeo veritas sit vera illa & ipso opere in Christo, vero Messia, omnino & perfecte facta earumdem rerum præstatio, quas Deus antea per promissiones variasque leges & typos veteris testamenti indicauerat prænotaueratque, extra quam nulla alia benedictio, nulla iustitia, nulla victima, nulla redemptio expectanda. Christus enim, qui plenus est gratiae & veritatis, hæc omnia plenissime & perfectissime in se complectitur, & per se ipsum & in se ipso sicut, adeo ut præter Christum ipsiusque veritatem nihil nobis opus sit, ut in perpetua iustitia, innocentia & beatitudine coram Deo vivamus, qui ipse tamquam *via, veritas & vita,* (Io. XIV, 6.) ad Patrem nos ducere, in nobis habitare & inambulare & omnem *euðonlāv* Patris in nobis perficere & vult & potest. Et hic vocabuli *veritatis* significatus, quo videlicet illa legis umbræ opponitur, & per eam impletio omnium typorum & promissionum veteris testamenti in Christo denotatur, propter genuinum verborum Io. I, 14. 17. sensum cum primis notandus est, ex quo præcipua etiam consolatio (quæ non est alia, nisi hæc, quod Christus servator noster factus est) haurienda est.

§. VI.

Hæc veritas in credentibus etiam per Christum adimplenda & instauranda est.

PRAETEREA etiam de hoc vocabulo *veritatis* ea, quæ sequuntur, notanda sunt. Quemad-

admodum omnis Dei veritas in Christo habitat
in ipsoque reperitur: siquidem Deus per eum o-
mnia, quæ ab æterno secum decreuit & postea
in verbo suo promisit, quibus caritas, sapientia
& bonitas ipsius manifestari & celebrari, nostra
etiam æterna salus procurari debebat, in lucem
statuit præstigitque; ita Dei bona illa & placens
voluntas est, ut ista veritas in fidelibus liberis
suis ex promisso suo impleatur, eorumque corda
& mentes secundum mentem suam in Christo
formentur, diuinæ indolis participes fiant atque
ita in veritate sua sanctificentur.

§. VII.

*Qua de re sequentia scripturæ sacre testimonia
notanda.*

Ad hæc eo melius intelligenda credentibus
diuinæque veritatis amantibus valde prôderit, se-
quentia Spiritus S. testimonia ex scriptura sacra
deuota mente ponderare, nimirum quod *Dei li-
beri sint ex veritate;* (Io. XXIX, 37. 1 Io. III, 19.)
quod *a Deo volente progeniti sint verbo veritatis;*
(Iac. I, 18.) quod *veritas in Iesu, ipsiusque vera
iustitia & sanctitas in ipsis sit;* (Eph. IV, 21. 24.)
quod *Spiritus veritatis Christi, qui ex Patre exit,*
in illis habitet, in veritate eos sanctificet, sole-
tur, agat, in omnem veritatem Christi ducat e-
umque in illis illustreret; (1 Cor. III, 16. Io. XIV,
16. 17. 26. cap. XV, 26. c. XVI, 7. 13. 14. c. XVII, 17.
19. Rom. VIII, 14.) quod inde etiam *veritati ob-*
sequantur, (Gal. III, 1. c. V, 7. 1 Petr. I, 22.) & *ve-*
ritati

ritati operam dent, (Io. III, 21.) in veritate, tamquam via Dei, ambulent, facto est veritate proximum diligent; (1o. III, 18. 21o. V, 1. 4. 3 Io. v. I. 3. 4.) de veritate, quæ aeternum apud eos est, testentur eamque loquantur; (1o. XV, 27. 1 Io. II, 8. c. V, 1o. II. 21o. v. 2.) in Spiritu et veritate orient (1o. IV, 23. 24.) per veritatem in libertatem vindicentur, (1o. VIII, 32.) & ab ipsa veritate etiam inter homines bonum testimonium indipiscantur. (3 Io. v. 12.)

§. VIII.

Quomodo hæc testimonia adhibenda sint.

Ex quibus aliisque istiusmodi scripturæ sacræ testimoniis vere credentes agnoscant, oportet, ab altera quidem parte, quanta ipsorum sit beatitudo, qua iam dum a Deo per ipsius gratiam donati sunt; ab altera autem parte, quemadmodum ista veritate & beatitudine Dei digne incedere, per eamque Deum in vniuersa vita sua sanctificare debeant & glorificare. Denique eo illis contendendum est, ut eam, tamquam aeternum Dei thesaurum, in cordibus suis fideliter custodiant, ne ipsis denuo auferatur, sed in ipsis manear, eaque aliquando in aeterna gloria perfrauerter.

§. IX.

Christo gratia adscribitur in oppositione ad res creatas.

QVANDO præterea sacra scriptura modo quidem suo bonam, omnino tamen imperfectam, rerum

rerum creatarum essentiam declarare, veram autem omnis boni perfectionem, quæ res creatas vniuersas antecellit, in solo Christo obuiam demonstrare vult, huic nomen veritatis adsignat, istis autem eam abiudicat; quia cum Christo comparatae re vera umbra tantum sunt. Et hinc Christum lucem veram, panem verum, veram uitam nuncupat, multo excellentiore & perfectiore sensu, quam si res mere creatæ isthoc nomine insigniuntur. Quamquam enim lux, quam creauit Deus, panis & vitis, quam e terra nasci iubet, sano etiam sensu vera lux, verus panis & vera vitis dici potest; quatenus nimirum res a Deo creatæ sunt, idque vere efficiunt, ad quod Deus eas adhibet & ad quod initio ordinavit: cum Christo tamen comparatae non sunt vera lux, verus panis & vera vitis. Nam Christus tanto sublimiore, sanctiore & diuiniore sensu veritatis lux, panis & vitis dicitur, ut ista lux, panis & vitis, si cum eo comparentur, vix umbra reputari possint; quia multo minore virtute pollent, & ad temporalem tantum ac naturalem vitam spectant. Contra ea Christus omnis divinæ virutis plenus & omnis lucis & virtutis scaturigo est: sicut etiam veram, spiritualem, divinam & æternam vitam largitur. (Io. VI, 27. 32. 33. 35. 48. 58.)

§. X.

Christus quoque ipsa veritas dicitur & cur?

Vnde etiam ipsa veritas appellatur: (Io. XIV, 6.) Immo vero non tantum veritas, sed etiam

etiam *via, veritas & vita*; quia 1) veram vitæ doctrinam docet, 2) veras vires donat & supeditat, quibus doctrinam in vitam conuertere valamus, 3) nos vere Patri reconciliat, 4) cultum Dei in Spiritu & veritate in nobis erigit, & loco vmbrae in cultu Leuitico, ipsam veram rerum cœlestium substantiam sistit, denique 5) vere ad Patrem nos transfert, vt vere & æternum cum ipso vniū maneamus: quemadmodum hac de re supra iam loquuti sumus.

§. XI.

Dat Spiritum veritatis, spiritui mendacii oppositum.

CHRISTVS etiam, vtpote essentialis veritas, spiritum suum, tamquam *spiritum veritatis*, largitur, qui spiritui mendacii opponitur. Spiritus enim veritatis omnem nos docet veritatem, & in omnem veritatem, siue sinceram veramque & sancto Deo probaram pietatem dicit; Spiritus autem mendacii hominem in omnem dicit falsitatem, mendacium Deique æternæ veritati oppositam impietatem. Spiritus veritatis nos regenerat, alios homines & nouas creaturas nos facit, diuinæque naturæ participes reddit; spiritus autem mendacii creaturam Dei turpat, eosque, qui ab ipso se regi patiuntur, diabolice naturæ, indolis ac proprietatis suæ reddit participes. Spiritus veritatis nos semper per veritatem regit, nec ullas res alias nisi veras, salutares, Deoque placentes nobis proponit; spiritus autem mendacii filios dissidentię, in quibus operatur, viribus suis men-

mendacibus captiuos tenet, sine intermissu ludificatur, eisque non nisi res inutiles, vanas, infructuosas, noxias, Deo ipsiusque liberis omnibus displicentes hominisque æternum exitium accelerantes, proponit. Vniuersum enim diaboli regnum mendacii regnum est; vniuersum autem regnum Christi regnum veritatis est. Qui voluptatibus suis obsequuntur in illisque seruunt diabolo, ex mendacio sunt & ex diabolo, patre illo mendacii; (Io. VIII, 44.) qui vero e potestate diaboli erexit sunt, in illis istud mendacii regnum vastatur, ex veritate regenerati sunt, & ex Christo sunt, qui est veritas, qui omne mendacium vincit & æternum triumphat.

§. XII.

Hunc sanctum & excellentem vocabuli veritatis sensum capere homo nequit, quamdiu in regno mendacii sive diaboli reperitur.

FIRMITER autem persuadere nobis possumus, hunc haec tenus propositum vocabuli *veritatis* sensum a nullo capi, nisi qui ex *veritate* sit & *spiritum veritatis* acceperit. Quodcumque enim non sit ex Deo, in Deo & coram Deo; Quodcumque non ex gratia & virtute inhabitantis Iesu Christi proficiat; quodcumque ab homine, in naturæ sue vitiositate constituto Christique spiritu orbo, peragitur, nihil nisi mendacium, tenebrae, peccatum & abominatione est in conspectu Dei. Nihil bonæ frugis homo ex eo in hac vita expectare potest, nec in futura æternitate ullum inde gaudium capiet, sed heic fru-

F

atum

etum percipit, cuius eum prædat, oportet, (Rom. VI, 21.) & illic æternum interitum meret. In istud mendacii regnum Adæ nos defœctio præcipitauit, in eoque captivi tenemur, quoad per veram & nouam nativitatem in regnum Christi non sumus translati.

§. XIII.

Nec inter veritatem & mendacium distinguere potest.

Quam igitur horrendus & detestandus plerumque hominum status est, qui, hoc non obstante, maximam partem beatos fese reputant, aut ab aliis beati habentur, & nihilo minus in hoc regno mendacii & cædis harent, & quorum sors sua cum patre mendacii manet? Contra vero quodcumque ex Deo, in Christo, & per Spiritum gratiæ fit, id in conspectu Dei veritas est æternumque coram ipso, vna cum præstantissimo & numquam perituro fructu, durat. Hoc homo animalis non percipit, unde iustum & impium non vere discernit, hanc in rem dicto illo Paulino, *Non est discrimen ullum: omnes peccaverunt Deique gloria carent,* (Rom. III, 23.) aliisque compluribus abutens. Qua de re legi meretur egregius d. PHILIPPI IACOBI SPENERI liber, qui inscribitur, *Dicta scripturæ sacra ab abusu vindicata.* Quamprimum autem quis per Spiritum veritatis & in luce Dei cognoscit, quid sit veritas, tum simul intelligit, quid intersit inter hominem impenitentem & pœnitentem, inter nondum conuersum & iam conuersum, inter ab-

abalienatum a vita Dei & inter domesticum & amicum Dei, inter colentem Deum & eum, qui non colit ipsum.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

QVOMODO HOMO, QVVM AD DEVM VERE CONVERTITVR, VERITATEM A MENDACIO DISCERNERE DISCAT, ET QVAM BEATVS TVM SIT PRAE RELIQVIS MORTALIBVS, NONDVM CONVERSIS.

§. I.

Primus hominis e mendacio in veritatem gradus in pœnitentia fit.

SIMVLAC quis ad pœnitentiam animum vere applicat, primum e mendacio ad veritatem gradum facit. Hoc si ipsi curæ cordique est, nouit quam certissime, non veritatem esse sed mendacium, si quis de fide glorietur, qui fidei fundamentum non iecit pœnitentiam, & si quis, sub congenitæ sibi labis dominio constitutus, mentem gerens profanam, & amore seculi capit peccatisque seruens, iustificatum se esse iudicet.

§. II.

Qui veritatem cognoscere incipit, eum vita ante actæ pudet.

IMMOVERO simulac homo pulchram iucundamque veritatis, que in Christo Iesu est, imaginem conspicatur, vitæ suæ pristinæ ipsum ma-

xime puder, quam mentem gerens terrenam egit,
quod tunc temporis in mendacio tantum, vanita-
te, stultitia & errore vixerit, & omnes ipsius a-
etiones, verba, coepita, consilia & cogitationes
animi vero & solido fundamento caruerint; &
omnia super arenam ædificata fuerint, ut iam
post annos preterlapsos ex illis ipsis nihil per-
petui fructus sperandum, sed ea vniuersa spe-
ctanda habeat, sicut *glumam, quam ventus dispel-*
lit. (Ps. I, 4. Sap. V, 6. 15.)

§. III.

E contrario gratiam tum demum vere prædicat,
quæ ei contigit.

CONTRA ea homo ineffabilem Dei gratiam
ac misericordiam prædicat, quæ ipsi contigit,
quod ex Deo iam genitus & in veram æternamque
vitam, que in Filio Dei est, (Ilo. V, II.) transla-
tus sit, quod nunc veritas in ipso sit, & ipse in
veritate; quod nunc plantatus sit sicut arbor ad ri-
vos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore
suo, & cuius folium non decidit, (Ps. I, 3.) nec
cuius fructus consumuntur, quia aquæ ipsius e san-
ctuario prodeunt: ideoque sunt fructus eius esui,
& folia eius medicinae; (Ez. XLVII, 12.) quod nunc
viuæ viti, Christo Iesu, insitus sit, & beneficio
succii ac virtutis huius vitis tamquam viridis pal-
mes veros fructus, pro indeole viris ac radicis, fe-
rat, qui fructus non pereant sed maneant, (Io.
XV, 2 - 8. 16.) Quid? quod non maneant tantum
sed fermentis etiam sint, vnde homo in futura vi-
ta largam messem adeoque ex uno fructu centu-
pli-

plicatos immo innumeros fructus percepturus sit, (Gal. VI, 7.) ita ut nulla lacrimula in terram frustra possit cadere, sed homo inde cum cantu (Ps. CXXVI, 5.) metat, adeoque certus esse possit, quidquid hic severit, illic se messurum esse; (2 Cor. IX, 6.) nec quidquam se facere frustra, sed quæcumque in Deo operetur, faciat, loquatur, instituat, patiatur & toleret, licet ex mera gratia ab ipso Deo in se efficiantur, (Io. III, 21.) tamen eam ipsam ob causam (quia videlicet ab ipso Deo efficiuntur, quia per Christum Iesum fiunt, (Phil. I, II.) quia fructus spiritus sunt, (Gal. V, 22.) quia in & ex vita noua Dei fiunt) (Eph. IV, 17. 18. 24.) non inter res vanas, quæ fiunt sub sole, (Eccles. I, 2. 14.) referri oportere; sed esse veritatem in Christo, neque cum mundo, *& quidquid in mundo est, præterire,* (1 Io. II, 16. 17.) sed ut certum thesaurum in futuram æternitatem sibi reponi.

§. IV.

*Qui spiritum veritatis habet, is magnum disserimen-
men, quod inter iustum & impium intercep-
dit, cognoscit.*

TVM demum homo vere mirabitur, quam sit adeo frustaneus vniuersus impii cuiusque atque increduli hominis labor & opera, & quam adeo nullum inde fructum sperare habeat; immo quod hoc ipso nihil nisi semen interitus, sibi ipsi nocitum, spargat; (nam qui severit in carnem suam, inquit scriptura, *ex carne metet interi-um;*) (Gal. VI, 8.) quod per ea omnia, quæ vel

F 3

agit

agit vel omittit, nihil nisi *iram Dei sibi thesaurum recondat in diem iræ*; (Rom. II, 5.) quod ipsi omnia quasi sub manibus & in ore intermoriantur & pereant, neque diuitiis suis, honorib[us], & voluptatibus fruatur longius, quam heic degir; (Iac. I, 10. II. c. V, 1. 2. Matth. VI, 19. Ies. XL, 6.) Quid, quod in ipsa omnis gloriæ mundanæ perceptione nihil veri reperire possit, sed tum etiam, duimodo paulisper ad se redeat, ipsum orcum, conscientiam occulto torquentem, sentiat; præterea ex calamitatibus & ærumnis, quibus premitur, nullum illic solatium exspectare possit, sed eas duntaxat pro leui quodam æterni cruciarus prægustu reputare debeat. Contra autem mirabundus videbit, quod fideles ex Deo, in Deo & cum Deo vivant, idque non frustra & in casum, et si minime Deum hoc modo deinerendi aut operibus propriis quidquam ab eo consequendi causa; sed ex mera Dei gratia in meram gratiam, quod certi esse possint, quæcumque non externe tantum sed etiam interne fecerint, ea non cum ipsis intermoritura sed opera eorum eos sequitura esse. (Apoc. XIV, 13.)

s. V.

Quisquis ad gratiam & robur Christi non adhaerescit, ille in veritate non persistit.

Qvym igitur omnis veritatis in Christo Domino, qui ipsa est veritas, sita, nec ex nobis ipsis oriunda sit; homo facile intelliget, quod omnia, in quibus sibi ipse placet, vel suum ipsius opus & sanctitatem in conspectum Dei adfert, Deoque ali-

aliquid mercedis demereri cupit, ad improborum glumam pertineant, nec aeternum possint confi-
stere, & quod ad solam gratiam adhaerescere se
oporteat, si veritatis particeps esse velit. Hoc
ipso cor suauissime commouebitur, ut Iesu Domi-
no eiusque gratiae adhaereat, ad operandum ci-
bum, qui non perit, sed permanet in vitam aet-
ernam, quippe quem salus Filius Dei dare potest,
quem Pater obsignavit. (Io. VI, 26. 27.) Et dum
ita cor in amorem Christi quasi velis remisque
trahitur, homo vitiositate sua magis magisque
immitiatur, & in boni rectique studio proficer,
neque tamen sibi quidquam sed domino Iesu, ut
par est, omnia tribuet.

§. VI.

*Vbi veritas est, homo sibi nihil, Christo autem
omnia adsignat.*

QVEMADMODVM manus hæc mea (verba sunt
doctoris cuiusdam extranei) que iam scribit, si
rationis & intelligentia particeps esse, & quid ipsa
sit, & quid valeat sine anima, & quid sit anima
in se, quidue operetur, perspicere posset, nullam
ex litteris, quas in hoc folio format, sibi ipsi tri-
butura, sed omnem huius rei honorem inuisibili
animæ, manum viuificanti & mouenti adscri-
ptura esset: Ita anima, Christo recte unita, oc-
culto gratiae lumine nihil suum in rebus superna-
turalibus; & supernaturalem, que a gratia per
patientem Iesum ipsi parta, exsistit, viuificatio-
nem perspicit. Vnde nihil sibi tribuit, & videt,
se peccati voraginibus esse submersam, in eaque

F 4

cons-

conditione nihil virtutis, nihil gratiae, nihil sanctitudinis reperiiri, adeoque quidquid bonarum dotium & gratiae in se sit, ex Iesu Christo in se existere & thesaurum Iesu Christi merito ac iure appellandum esse.

§. VII.

Qui veritatem cognoscit, ille mundanis vanitatibus non dat operari.

QVIS QVIS igitur gratiae Christi particeps factus est, is tanto maiorem caussam se habere credet, huius mundi vanitates viliores reputandi, quam ut animam iis suam oneret; quod in iis omnibus nihil veri deprehendit. Et quum alias mundani homines varias inutiles quaestiones proponere soleant: *An saltare, alea vel tessellare ludere, spectacula scenica frequentare, hoc illudue facere liceat?* verus Christianus ipse sibi facile sic respondebit: (*Col. III, 17.*) *Illud factam, quod in Christo Iesu & in hoc sanctissimo nomine facere possum, cuius fructus mihi non pereat, sed aeternum permaneat, & quod in aeternam gloriam translatus in conspectu Dei me reperturum confido.* Christianus enim multo est nobilior, quam ut quidquam faciat, in quo ut animal rationis expers sepe corrumpat. (*2 Petr. II, 12. Iud. com. IO.*) Et si vel maxime aliud quidpiam facere mihi licet, tamen redemptorem meum, qui est veritas, ista ignominia non adficerem, ut tamquam ipsius membrum aliquid sciens & volens agerem, quod non sit veritas, posteaquam pretioso suo sanguine me ex vana illa conuersatione mea redemit. (*I Pet. I, 18.*)

I, 18.) Quanta, quæso, hæc est beatitudo, quod homo nouit, se esse & viuere in Deo, & quæcumque faciat & instituat, in Deo facta esse, & æternum permanere? O si isti vani homines vel semel in hanc veritatem introspicerent, nullum est dubium, fore, vt rationum, quibus pro excusandis & defendendis otiosis suis discursationibus, inutilibus verbis & factis, saltationibus, ludis aliisque ineptiis Andabatarum more pugnant, eos intus pudeat.

§. VIII.

Quem verum fructum crux adferat.

Quo autem pacto fieri posset, vt christianus in omnibus actionibus & perpessionibus suis alio atque optimo animo vteretur, quandoquidem nouit, quidquid faciat, prosperari (Ps. I, 3.) heic in tempore & illic in æternitate, etiamsi rationi plane aliter videatur; quanto maiorem iacturam Christi causa heic faciat, tanto amplius sibi esse lucrum; quo plus heic ignominiae & opprobrii ferat, eo plus gloriæ illuc nacturum; neque tam indigne a mundo se tractari posse, quia commodum inde ad se redeat. Et qui non exultaret gaudio, quum eorum omnium iam tum in hac vita luculentum testimonium & sigillum quasi gratiæ accipiat; siquidem omnia, quæ in veritate aguntur & tolerantur, iam heic præclaros & multiplices gratiæ & solatii fructus, ipso Seruatore nostro testante, ferant. Quum enim Petrus ei diceret: (Matth. XIX, 27.) *Ecce nos reliquimus omnia teque sequuti sumus, quid ergo*

F 5

hinc

hinc adsequemur! Respondit DOMINVS: Hoc vobis confirmo, vos, qui me sequuti estis in regeneratione, quum sedebit Filius hominis in suo glorioso tribunal, sessuos esse vos etiam in duodecim tribunalibus, iudicantes duodecim tribus Iraelitarum. Et quisquis domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mei nominis causa reliquerit, is centuplum adipiscetur & vitam obtinebit sempiternam. Tam larga benedictione veritas a Deo impertitur, ut centuplices fructus ferat & postea in æternam vitam floreat, vbi metendi finis futurus est nullus. O si haec digne considerent mortales, quantum non fastidium illis foret in omnibus rebus, quæ non ex veritate proficiuntur? Quam cito adeo inutilibus mundi pompis & vanitatibus vale dictu*i* essent nec cogitatur, sibi eas ita licere, quemadmodum nunc quidem, amore mundi fascinati, opinantur?

§. IX.

TUNC homo etiam vere cognitus esset, quod lex omnis, quatenus externa est & per litteras homini præscripta, et si per se, hominibus ramen non sit *veritas*; sed tum demum in homine, si proprie loqui velimus, *veritas* fiat, vbi ex noui foederis ratione per Spiritum Christi litteris viuis menti eius & cordi inscripta fuit; (Hebr. VIII, 10.) quod hic homo, ut seruus (Io. VIII, 35. 36.) secundum externam legem viuens, in domo

domo manere non possit, filius autem, quem Filius Dei in libertatem vindicatum Spiritu adoptionis donauit, *in domo Dei perpetuo mansurus sit.* (Ps. XXIII, 6.) Quæcumque in lege externa ei mandata sunt, ad ea facienda amor Christi blandissime ipsum impellit; qui & eum ab omni obliqua animi intentione, proprii meriti studio, bonorum operum ad propriam utilitatem spe-
ctante accumulatione, & id genus vitiis aliis, quo-
cumque venerint nomine, magis atque magis purgat. Sicut mater, quo sincerius ardenterius que infantem diligit, eo minus bonum aliquod opus, quo sobolem demereatur, a se fieri existimat, quando ei non nisi benigne facit. Et sicut infans vltro & citro cursat atque lætatur, si sibi mater bene multa facienda iniungat, dummodo matrem ex animo diligit; & tamen in isthoc insocuo erga matrem amore suo nihil minus cogitat, quam quod bona opera facere iisque aliquid mereri velit; ita etiam se res haber cum homine. Quam obscurus, quæso, ei sermo alias est, quod *legem Dei cordi inscriptam esse* oporteat; Hoc sibi nihil aliud velle existimat, nisi quod memoria eam firmiter tenere necesse sit. Qui autem *in veritate ambulat*, is facile cognoscer, nihil aliud esse, quam quod sanctissima Dei voluntas, in lege præscripta, per Spiritum Domini nostri Iesu Christi, iam etiam sua ipsius voluntas facta sit, & spiritus Dei ipsum *in omnem veritatem*, lege Domini patefactam, du-
cat, & ad omne bonum agat, (Io. XVI, 13. Rom.

VIII,

VIII, 14.) in ipsoque voluntati carnis, quæ huic Dei legi repugnat, dominetur. Quia in te nihilo magis quam obsequiosus filius externum Patris sui præceptum contemnet, sed illud potius ad ampliorem sui institutionem, excitationem & convictionem studiose diligenterque addiscet; probe sciens, quod caro & sanguis, etsi dominio Spiritus subest, per corruptam tamen rationem ad aliam semper viam remittere, & satanas, in angelum lucis se transfigurans, falso lumine decipere se gestiat.

§. X.

Quomodo Spiritus veritatis hominem, dum amorem Dei & proximi studet, intra iustos cancellos contineat.

ATQVE ita *Spiritus veritatis*, qui per os prophetarum & apostolorum de diuina voluntate tam concordans perhibuit testimonium, hominem in omni sua conuersatione intra iustos *amoris Dei & proximi* cancellos continebit, ne vel sub falsa Deum colendi specie, amorem proximi violet, nec sub prætextu proximo præstanti officium amorem Dei negligat; sed ut Deus ab ipso supra omnia, proximus autem in Deo, per Deum & propter Deum diligatur. Quo magis igitur inenarrabilis Dei gratia in Christo Iesu in ipsius corde illustratur & obsignatur, eo magis proximum etiam *diligeret non verbo, neque lingua, sed facto & veritate.* (Ilo. III, 18.)

§. XI.

§. XI.

Quomodo natus & defectibus, quos in hoc studio animaduertit, cum per gratiam tum per veritatem medeatur.

QVANDO QVIDEM autem tam in amore Dei, quam in amore alterius suos semper natos & defectus agnoscere, necesse habebit, mirifice ipsi prodeat, si *gratia & veritas* in eius corde firmiter se coniunxerint. Gratia enim non permettit, ut propter natos & magnam imperfectionem suam despondeat animum: *veritas* autem ei *in star cinguli femorum* erit, (Eph. VI, 14.) ut ne in securitatem & socordiam abripiatur, aut in caritate refrigerescat; sed ut tanto magis corrupto, fraudulentio & desultorio animo suo inuigilet, & tanto ardenter Spiritus sancti efficaciam sibi expectat, ut purget se ipsum ab omni & corporis & animi labe, perfungens sanctimonia cum Dei metu. (2 Cor. VII, 1.) *Cor gratia constabilietur*, (Ebr. XIII, 9.) h. e. firmum, certum & immobile euadet; & bonus Spiritus, qui est Spiritus veritatis, *notam ei faciet viam, qua ambulare debeat, & deducet eum per terram planam.* (Ps. CXLIII, 8. IO.)

§. XII.

Quomodo in pace Dei eum conseruet.

ITA inestimabilis illa pax Dei, que exsuperat omnem mentem, praesidio mentem & cogitationes eius custodiet. (Phil. IV, 7.) Et licet ea per aliquam titubationem & euagationem sensum turbata fuerit, gratia tamen animae succurret, & alas

alias quasi dabit, quibus vanitatem effugiat, & ad eternam atque immutabilem veritatem adscendat, ne hostis gloriari possit, quod animam præstantissimo cimelio, quod Christus ei dedit, pri-
varit. (Io. XIV, 27.)

§. XIII.

Quomodo in omnibus temptationibus ad preces tanto magis ipsum compellat.

ET si inimicus vel maximam iram contra animam conceperit, ideo quod gratia adeo insinuerit adhærescat, & veritate se tam arcte cingat: quid efficier, nisi ut hoc ipso eam tanto magis instiger, ut omni in re precibus & suppli-
cationibus cum gratiarum actione postulata sua Deo declaret. (Phil. IV, 6.) Quanto enim magis cognoverit anima, quod ineffabilem diuinæ gratiæ thesaurum in testaceis habeat vasculis, (2Cor. IV, 7.) & quod ab aduersario, (I Petr. V, 8.) hunc ei thesaurum eripiendi caussa, tantopere infestetur: tanto magis ad precandum in spiritu & veritate incendetur, (Io. IV, 23. 24.) firmiter confusa, quod & istæ preces, quæ ex virtute, mandato, nomine & ad voluntatem Domini nostri Iesu Christi fiant, per preces ipsius sacerdotales in veritate sanctificatae Deoque grata factæ sint. (Io. XVI, 23. 24. Rom. VIII, 34. Ebr. VII, 25.) Vnde anima minime veretur, ne cum typicis veteris testamenti sacrificiis in fumum abeant, sed certo scit, coram sanctissima Dei facie eas mansuras esse, quin immo Patrem in Filio per earum ex-

audi.

auditionem æternum *iri illustratum.* (Io. XIV,
13.14.)

§. XIV.

Quomodo verbum veritatis dulce ei reddat.

Sic omnis *veritas* totius scripturæ sacræ, tamquam verbi veritatis, (Io. XVII, 17. Eph. I, 13. Iac. I, 18.) homini vere dulcescer. Tunc enim ab ipso homine magis magisque tamquam veritas cognoscetur, immo in ipso veritas fier, quo magis *Christus*, qui sacræ scripturæ nucleus est, cum efficacia & per Spiritum veritatis ei sese cognoscendum gustandumque exhibet, quam sit plenus gratiæ & veritatis, & quo magis ipse *Spiritus testatur, quod Spiritus sit veritas,* (Ilo. V, 6.) & homo in ipsum vsum & experientiam eorum, quæ in scriptura exstant, intromittitur. (Phil. I, 9.) Tum vel vnicam veritatem, tamquam veritatem, percipere, vere diuinam voluptatem & lætitiam ei adferet. Quantæ non voluptati & lætitiae ei erit, vbi æterna, increata & infinita veritas animæ eius semetipsam præbebit gustandam? (Io. XIV, 21. 23.) O beatissimum statum, in quem anima collocatur, in qua Christus per Spiritum sanctum ita sese glorificat, ut ex ipsius plenitudine non tantum gratiam pro gratia accipiat, sed veritatis etiam particeps reddatur, ut cognoscat verum illum, & sit in vero illo, id est, in eius Filio, Iesu Christo, qui est verus ille Deus & vita illa æterna. (Ilo. V, 20.)

CAPVT

**CAPVT DECIMVM SEXTVM.
EXCITATIO LECTORIS, VT EA,
QVAE DE GRATIA ET VERITATE SCRIP-
PTA SVNT, SECVM PONDERET ET
SALVTARITER APPLICET.**

§. I.

Hactenus dicta diligenter expendenda sunt.

IN TVERE, quæso, lector, intelligenti animo, quæ de gratia & veritate proposita tibi sunt. Ipse nunc expende, quid in recessu habeat, quod Filius Dei apparuerit, inter nos habitarit & gloriam suam manifestarit, gloriam tamquam Filii vnigeniti a Patre; quod plenitudo gratiæ & veritatis ex ipsis facie eluxerit; & quod nos omnes ex eius plenitudine gratiam pro gratia recipere possimus, posteaquam gratia & veritas per ipsum præstata fuit. Si his ipsis, quæ hac de re tibi modo proposita sunt, te excitari non patieris, vt cum animo rem digne consideres; excitari te non sines, si adhuc multo plura de hac re tibi inculcata fuerint. Quod si vero his paucis te commoueri sines, vt Deum supplicibus precibus ores, vt Seruatoris tui gloriam puris fidei oculis conspiciendam tibi præbeat: hæc etiam guttula sufficer, vt fiat in te fons aquæ salientis in vitam eternam. (Io. IV, 14.) Tunc intelliges, hæc duo parua vocabula, *gratiæ* & *veritatem*, ore quidem facilime efferi, rantas autem cognitionis diuitias complecti, quæ nec ab hominis mortalis mente satis comprehendi,

di, nec lingua enarrari possint. Si vero oculos tibi aperiat Deus, ut hæc illa in penitiore vriusque vocabuli sensu perspicias, quæ in hac brevi meditatione non expressa esse vides: noueris, nec huic ipsi menti, ex qua hæc meditatio profecta est, hanc breuem delineationem satis probari; sed potius ipsam pudore suffusum iri, quod Domini sui gloriam & gratiæ ac veritatis plenitudinem, quæ in ipso est, non viuidioribus coloribus depinxerit, nec maiori efficacitate ob oculos tibi proposuerit, nisi didicisset, *gratia Domini contentam esse* (2 Cor. XII, 9.) Credere, non esse cum Domino in adiuuando discrimen inter magnum & inter eum, cui nullæ (vel admodum exiguae) sunt vires. (2 Par. XIV, II.) Fortassis Seruatori nostro pro ineffabili amore suo placuerit, alia quadam occasione plus gratiæ ad nominis sui illustrationem largiri.

§. II.

Non ita quidem, ut tantum belle meditationes colligantur.

NOLI vero hoc unum curare, lector, ut multis bellas & iucundas meditationes de gratia & veritate colligas. Bonæ enim & profundæ meditationes in die iræ diuinæ nihil tibi proderti, nisi earum efficacitatem admiseris. Quid, quod ea ipsæ te iudicabunt, & quo magis in euangelio de Iesu Christo & vniuersæ diuinæ opulentia, quæ in eo nobis offertur, scrutatione te oblectar-

G

veris

veris tempore gratiae: eo maioribus cruciatibus & angoribus inde conficeris, quod in omni ista cognitione erumnosus & miser & pauper & cœsus & nudus mansisti. (Apoc. III, 17.)

§. III.

Sed ut ad eum nos conuertamus, qui plenus est gratiae & veritatis eique cor nostrum offeramus.

ITAQUE intimum animi tui penetrale in te iam commoueri patere, spiritumque tuum ad eum conuerte, qui ineffabili gratia & miseratione se ad te conuertit, ad æternum Dei Verbum, quod, postquam plenum tempus adtinet, caro factum est, ad Filium vnigenitum a Patre, qui frater tuus factus est, ad pium & dulcem Immaculatam, qui adeo libenter ad te etiam venire, per fidem in corde tuo habitare, suam tibi gloriam manifestare, & gratia ac veritate ex immensa sua plenitudine te implere vult. Renuntia peccatorum seruicio. Cur in regno Satanae, quod iræ & mendacii regnum est, manere cupias? Quidni potius illi te seruum sistas, cui tantum in iustitia, pace & gaudio per Spiritum sanctum a regni sui consortibus seruitur? (Rom XIV, 17.18.) Vide quæso, quoties te congregare voluerit, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? (Matth. XXIII, 37.) Quarundiu de te aliisque, qui ipsi repugnant, conqueretur: Noluisti? Proh pudor! Annon velis, ubi ipse tam libenter vult? Cuius,

Cuius, quæso, est virilitas & beatitudo, nisi tua
solius? Si vero hanc utilitatem & hanc beatitu-
dinem adhuc tecum animo non expendisti, nunc
deum intuere magnam Redemptoris tui glori-
am, quod prorsus ad gloriam tuam apparuerit
tibique adnunciata sit. Suscipere te vult, (o
magnam fidem!) licet in peccatorum tuorum
sanguine iaceas, & ignominiae, foetoris atque im-
puritatis plenus sis. Noli ei repugnare, quando
amore suo animum tuum sibi denincire adlabo-
rat. Expergiscere de somno tuo, & vires col-
lige, ut peccata tua & omne inquinamentum car-
nis ac Spiritus serio detesteris, ipsum autem di-
ligas, qui prodiit a Pace, & ad te in misericordiam
tuam venit, ut tui misereretur & ex omnibus te
angustiis eriperet. Da, quæso, ei cot tuum.
Quantacumque miseria adfectus sis & adflictus,
is profecto opem ferre tibi potest. Nam plenus
est gratiae & veritatis, (quemadmodum audi-
visti), & gratia ac veritas per ipsum praesita
est. Itaque & tibi impertietur. Crede modo in
ipsum, peccatumque fuge.

§. IV.

*Et ut per considerationem gratiae ac veritatis ego
noster in centro fidei in Christum tue-
mur.*

SI quis autem in vera conuersione Deo sacri-
ficia, quibus delectatur, hoc est, animum fractum
& contritum, (Psal. LI, 19.) iam obtulit, & fide
G 2 Christ-

Christum apprehendit, vel potius a Christo apprehensus est: ille accedat, & apertos, quos Dominus ei dedit, oculos eo adhibeat, ut gloriam Filii unigeniti a Patre contempletur, & angelorum deliciis, plenitudinem gratiae ac veritatis, quae in ipso habitat, intendo, sese oblectet. Qui fieri potest, ut fidei nostrae oculi somno non sint experrecti, nec mentes nostrae alacres, posteaquam semel credidimus & cognovimus, quod in CHRISTO inhabitet omnis plenitudo deitatis corporaliter, & quod simus in eo completi? Quae caussa est, amabo, cur vita Filii Dei non maiori cum efficacitate in nobis manifestetur? Nonne haec est, quod non in vero christianissimi nostri centro, hoc est, in fide Filii Dei placide subsistimus? Quod si in fide Filii Dei immoti staremus, hostis nos adoriri haud auderet. Gratia enim & veritas Christi pro nobis pugnaret; nos autem quieti esse & in munimento nostro tranquilli & placidi manere possemus, quod Dominus hostes nostros vel momento depresso esset. Ille visitoriam reportaret, nos autem laeti opinicia cantaremus eique acclamaremus Halleluia! Tum, inquam, gratia in cordibus nostris illustraretur. Hoc manna quotidianum pabulum nostrum foret, & panis, qui de celo descendit, animabus nostris vitam daret. Tum spiritus noster semper innouaretur robore, adscenderet pennis velut aquila. (Ies. XL, 31.) Tum æterna, immutabilis & increata veritas in placido diuinæ pacis fab-

ba-

batismo a nobis agnoscetur; omnes autem mendacii & tenebrarum vires cedere & in nobis pudeſieri oportet, ſi ita orantes & vigilantes in Spiritu fidei ad ſolem iuſtitiæ confugeremus, & ſanationem in aliis ipſius quereremus. (Mal. IV, 2.) Quotusque ſapiens eſt, qui obſeruet iſta, ut animaduerfantur benignitatis IEHOVÆ! (Pſal. CVII, 43.)


§. V.

Precatio.

O CHRISTE, Fili Dei, Immanuel, ad Te, quæſumus, corda noſtra congrega, ut æternum Tecum ſimus. Manifestam nobis redde gloriam tuam, & fac, innoteſcat gratia tua & veritas eis, qui diligunt Nomen tuum. Quam proh dolor! incognitus es filiis hominum, quum tamen vnuſ eorum redemptor ſis & feruator! Quousque ita occultus manebis? Quousque illi, qui non in alio niſi in te falutem ſuam querunt, iſta ignominia notabuntur, quod gloriam Dei in

G 3 facie

facie tua nondum conspexerint, dies nondum illuxerit, nec lucifer in eorum cordibus exortus sit? Illucesce, perfectissima Dei pulchritudo, orbem terrarum gloria tua reple, fac inualescat super nos gratia tua & veritas, primogenite & altissime inter reges terræ. Sic Tibi psalmos cantabimus, immo gratiam & veritatem cantabimus, & sicut Tu es, ita nomen Tuum, Deus, erit usque ad extremitates terræ.
Amen, Amen.



PHI-



PHILANTHROPIA,
HOC EST,
AMOR DEI ERGA HOMINES.

SANE diligit populos Iehoua! Hæc Mosis verba sunt in benedictione, qua Israëlitis ante suam mortem bene precatus est. (Deut. XXXIII, 3.)

Et Christus ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* (Io. III, 16.)

Paulus id vocat *Φιλανθρωπίαν, amorem Dei erga homines.* (Tit. III, 4.)

Hanc *Φιλανθρωπίαν, sive amorem Dei erga homines, ut rectius intelligere & altius in animum demittere discas, perpende, quæso,*

I.

Magnam maiestatem,
ineffabilem gloriam,
infinitam virtutem ac potentiam,

G 4

im-

immensam nec ylliū rei indigentem beatitudinem,

perfectissimam sanctitatem,
in summa, omnibus rebus creatis incomprehensibilem & mirabilem vnius, super omnia collaudandi & æterni Dei essentiam.

Vniuersa scriptura sacra de magna elius maiestate & gloria testatur. (Sir. XLII, 15. & XLIII, tot.)

II.

E CONTRARIO considera, quid sit homo, maxime postquam in peccatum lapsus est.

Creatura est, creatori suo infidelis facta,
a Deo suo abalienata,
sententiae mortis & maledictioni legis subiacens,

per labem congenitam & peccata actualia iniuriam cum Deo gerens,
ad omnem rem bonam inepta,
et se ipsam magis magisque in exitium praecipitans.

Quando in lege Dei de impuris animalibus & de varia externa hominum immundicie, de sanie, vlcere, profluio sanguinis, de mortuo cadavere aliisque consumilibus rebus diuinæ sanctiones legis, firmiter tibi persuade, in his omnibus detestandam hominis conditionem post lapsum describi.

Nonne igitur David roget: Domine, quid est homo,

homo, ut eius habeas rationem? quid est homine natus, ut eum cures? (Psalm. CXLIV, 3.)

III.

PERPENDE etiam magnam & prorsus infinitam inæqualitatem, quæ est inter Deum, qui diligit, & hominem, qui a Deo diligitur.

Inter *Abasuerum* & *Ezherem* magna quidem coram hominibus inæqualitas videbatur intercedere, quæ tamen valde parua est, si cum ista inæqualitate, quæ Deum inter & hominem est, comparetur.

Deus enim est ens perfectissimum; homo autem, quemadmodum psaltes ait, perinde ac nihil est, (Psalm. XXXIX, 6. & Psalm. CXLIV, 4.)

Deus sanctissimus est, ita ut nec cælum ipsum eius iudicio purum sit. (Iob. XV, 15.)

Contra ea homo impurus est, profanus est, peruersæ & prauæ indolis est, rebellis aduersus Deum est, natura non filius Dei sed filius iræ est. (Deut. XXXII, 5. Eph. II, 3.)

Et quis inæqualitatem illam fando exprimere potest?

IV.

PERPENDE, quod in homine, qui a Deo amatur, omnino nihil inueniatur, quod isto amore dignum sit.

Fuimus, inquit Paulus, aliquando dementes, consumaces, errantes, variis seruientes cupiditatibus

bus & voluptatibus, in prauitate inuidiaque degentes, odiosi, alii aliis infensi. Et quum tales fuimus, benignitatem & Φιλανθρωπίαν, sive amorem Dei erga homines, nobis apparuisse affirmat. (Tit. III, 3. 4. collat, v. 5. & Deut. IX.)

V.

IN PRIMIS vero perpende, quod in amato nihil adeo amore dignum sit, ut contra in eo omnia reperiantur, quae detestandum & odiosum ipsum reddant. (Lege hac de re Rom. I. II. III. Psalm. V. Ezech. XVI. cet.)

VI.

PERPENDE, quod Deus amator caussam, quae ipsum ad amandum impulit, non in amati dignitate, sed vnice in æterna sua & inexhausta misericordia inuenerit.

Perstrepunt, inquit apud Ierem. XXXI, 20. viscera mea propter eum, omnino miserebor eius. (Vid, Rom. V, 5. 6. 7.)

VII.

PERPENDE, quod hic amor, in æterna atque inexhausta misericordia Dei scaturiens, hominem quasi ex profundissima inde miseria amarit, (quomodo Hiskias Ies. XXXVIII, 17. secundum veritatem Hebraicam ait: *Tu complexus es amore animam meam ex fouea*) & hunc sibi scopum fixerit, ut hominem, qui per lapsum imaginem Dei

Dei perdidit, eo perducat, ut sibi similis fiat; & ut ex profundissima miseria in summam & amplissimam perfectionem tandem transferat. (Vid. Io. XVII, 23. 1 Io. III, 2.)

VIII.

PERPENDE, quod hic amor isti scopo summum & maximum bonum, Filium videlicet unigenitum, Filium amoris impenderit; qua in re tamquam verus amor apparet, in splendore suo oritur, hominesque visit, qui in tenebris & umbra mortis positi sunt. (Luc, I, 78. 79. Io. III, 16. 1 Io, IV, 9. 10. Gen. XXII.)

IX.

PERPENDE, quod hic amor omnes *diuitias benignitatis & tolerantiae & lenitudinis* eo conferat, vt tandem quis modo metam de servando homine sibi propositam contingat. (Vid. Rom. II, 4. Ies. V, 3. 4.)

X.

PERPENDE itaque, hunc amorem esse
æternum,
inexhaustum,
in se ipso numquam non scaturientem,
præclarissimum,
sincerissimum,
purissimum,
perfæctissimum,

er

Et pure diuinum amorem.

Nam Deus ipse amor est. (1o. IV, 16.)

XI.

PERPENDE, quod hic amor ab homine non exigat, vt operibus se demereatur, sed potius, vt homo omnimodam indignitatem suam agnoscat,

ex animo doleat, quod tam male se gesserit, tam prauus tamque peruersus fuerit, et vt per dissidentiam sibi se ne subtrahat, sed vt sibi tantum permittat, vt ipsius animum emortuum viuificeret,

animum frigore adstrictum incndat, animum immundum expurget, ex omnibus miseriis suis ipsum eripiat, in ipso & super ipsum se se diffundat, et prorsus mirabilem atque augustum in ipso se se ostendar.

Quæ omnia certe in ipso perficiet, dummodo suavi ac leni eius operationi dissidentia sua & contumacia non resistat, sed tamquam ægrotus & vulneratus ipsi, velut medico suo, se commitat, eius manui se subiiciat, atque ita perduret, donec istum curarit, & tum in ipso æternum lætetur. (Rom. III, Eph. II)

XII.

PERPENDE, quod hic purissimus & tenerimus amor impurum, fœdum, & in sanguine suo iacentem peccatorem non a se repellat, sed cum

cum intima miseratione eum in misera ista conditione adspiciat, & peccatoris adhuc procul absentis misereatur, eum præueniat, ei occurrat, eum suscipiat & ab stercore & impuritate lauer ac mundet.

Nam ex eo oriuntur viuæ Spiritus Sancti aquæ, quæ peccatorem resipiscentem regenerant, ex eoque nouum hominem carumque Dei filium faciunt. (Ezech. XVI, 6. Luc. XV, 20. Eph. V, 25. 26. 27. 1 Cor. VI, II. Tit. III, 5. 6. Rom. V, 5.)

XIII.

PERPENDE, quod hic amor peccatori, si eius animum in tantum lucratus est, ut miseriam suam, in qua præteritis temporibus hæsit, lacrimis & gemitibus spiritus intueatur & gratiam ahielet, tunicam gratiae ac vestimenta salutis induat, quæ sunt vestimenta Primogeniti, in quibus spiritualis Iacobus benedictionem a Patre suo recipit. (Genef. XXVII, 27. 28. 29. Luc. XV, 22.) Nam hic amor Christum ei facit iustitiam (1 Cor. I, 30.) ut eius gratia iustus factus fiat bæres via, quæ speratur, eterna. (Tit. III, 7.)

XIV.

PERPENDE, quod hic amor spem viuidam largiatur, immo ipsum pignus adoptionis offerat ac donet. (Vid. 1 Pet. I, 3. Eph. I, 14. 2 Cor. I, 21. 22. V, 5.) Quæ spes velut anchora animæ tutæ ac firma ingreditur usque in ea, quæ sunt intra vclum.

velum. (Ebr. VI, 19. 20. Tit. III, 7. Rom. VIII, 15.
16. 17. 19. 23. 24. 25.)

XV.

PÉR PENDÈ, quod diuina bius amoris pōtentia omnia donet homini, quæ ad vitam & pietatem pertinent, per eius cognitionem, qui vocavit eum ad gloriam & virtutem; quæ diuina potentia eum ab omnibus mundanis voluptaribus auocat, efficitque diuinæ naturæ participem (2 Pet. I, 3. 4.) ut non amplius in corpore, sed in spiritu sit, nec amplius carnis, sed spiritus arbitrio parere, quippe per quem carnis actiones perimit. (Rom. VIII, I. 9. 13. Gal. V, 22. 24. 25.)

XVI.

PÉR PENDÈ, quod hic amor, uti bonum opus in homine inchoauit, ita quoque in eo ipse perficere, hominem sanctum & absolutum reddere, ipsiusque spiritum & animam & corpus inculpatum conseruare velit in aduentum Domini nostri Iesu Christi, ut ipsum in gloriæ sua conspectu inculpatum sistat cum exultatione. (Phil. I, 6. 1 Thess. V, 23. 24. Iud. com. 24.) Atque ita hic amor scopum suum tandem attingit, quando hominem in gloriosam & immaculatam vitæ æternæ hæreditatem introducit. (1 Io. III, 1. 2. 10. III, 16. XVII, 24. Apoc. XXI. XXII.)

Hæc omnia placido & quieto perpende animo,
qui

qui est in conspectu Dei pretiosus (1 Petr. III, 4.) sic intelliges, quam diligit Dominus populos.

Quæ omnia quando diligenter considerasti & expendisti, nouas institue meditationes, & considera porro

1.

Te ipsum, quemadmodum huc usque hunc amorem tecum reputanteris?

quomodo ei locum in animo tuo reliqueris? diuinum illius opus in te perfici, te in ipsum trahi, cum eoque te uniri suieris?

et quomodo denique ex praesenti animi tui indeole, conatu, cogitatione, studiis, verbis ac factis, & ex omni externo & interno statu tuo cognosci possit, quod idem amor operationem suam in te vere incepit, eamque quotidie continuet, ut spem certum habere possis, fore, ut opus suum in te quoque perficiat.

Quod si haec deesse animaduertis, adhuc quæso permitte, ut hic amor te inueniat inuentumque amplectatur. Quarerit enim te instar blandæ matris, tibique ardenter cupit opitulari.

2.

CONSIDERA proximum, quomodo erga eum indueris affectum misericordia, benignitatem, mode-

modestiam, mansuetudinem, patientiam, & super hæc omnia caritatem, quæ perfectionis unicum est. (Col. III, 12. 14.)

Nam philanthropia Dei exemplar est, quemadmodum in alterum affectus esse & te gerere debeas. (Tit. III, 2. 3. 4. cet.)

3.

DENIQUE considera Deum, qui ipse amor est,

et si meditatio tua in hoc amoris mari non inuenit, ubi pedem figat, modo guttulam viuae fidei tuae in hunc immensum & inexhaustum amoris oceanum labi in eoque sine metu demergi sine.

Dummodo ipsos nos in hoc amore perdiderimus, in eodem nos rursus inteniemus & aeternum viuemus. (Io. XII, 24. 25. Matth. X, 39. XVI, 25.)

QVOD ipsum in nobis efficiat
aeternus ille & increatus Amor, cui sit
laus & gloria sempiterna.

Amen.



EPI-

EPISTOLA
AD AMICOS EXTRANEOS
DE
CHRISTIANA FILIORVM DEI
SIMPLICITATE.

AMICI IN DOMINO DILECTISSIMI.

ANIVS meus ad Vos apertus est in Domino. Quamobrem post diuturnum silentium tandem aliquando calamum sumo, ut ad Vos scribam: quod quo minus a me fiat sepius, nihil nisi multorum negotiorum onus, quo nunquam non premor, impedit.

Quamquam enim scio, fidem vestram ideo non iri extinctum, si nullas ad vos dem litteras; noui tamen, esse ex regula apostolica id nostri officii, ut nos inter nos cotidie cohortemur, quamdiu hodie dicitur; (Hebr. III, 13. cap. X, 24. 25.) & Dominum fraternalm admonitionem non sinere esse infructuosam, nec nos intermittere posse, si in verae christianae mentis simplicitate maneamus, quin nos inuicem amantissime excitemus; neque adeo quemquam nostrum animo tam firmatum sibi videri oportere, ut vel infirmissimi fratribus monitionem flocci faciendi caussam ullam se habere credat.

STUDEMVS, queso vos, fratres carissimi, unitatem spiritus vinculo pacis, quam largitus no-

H

bis

bis est Christus, *tueri*, (Eph. IV, 3.) Etenim ab *vno* eodemque *capite* (Col. I, 18. c. ap II, 19.) pendemus; & Caput nostrum hoc nobis ultimum præceptum dedit, ut *inter nos amemus*, (Io. XIII, 33. 34. XV, 17. 1 Io. II, 7. seqq.) & quidem eiusmodi caritatis declaratione, ut ab aliis quoque possit animaduerti. Quomodo enim alias ex eo *omnes cognoscerent*, *nos esse eius discipulos*? Tum autem præceptum eius seruabimus, si genuinam, sinceram diuinamque mentis *simplicitatem* (Matth. XVIII, 3. 1 Cor. XIV, 20. Rom. XVI, 19.) quæ in Iesu est, recte didicerimus in eaque vere coaluerimus.

HANC simplicitatem in regno naturæ in puerorum innocentia quasi adumbratam conspicimus; multo autem excellentiore ratione ea acquiritur per submissum Christi spiritum, quippe per quem semper alius alium sibi præcellere existimat. (Phil. II, 3.)

HAEC IPSA est, quæ peccatorum *multitudinem*, maxime vero omnia fratrum errata tegit, (1 Petr. IV, 8.) idque sine dolo & simulatione; nullam in eorum oculis festucam cernit; (Luc. VI, 41.) infirmioribus parcit illisque *opitulatur*, ut *Et Christus nobis ad Dei gloriam opitulatus est*; (Rom. XV, 7.) Comis & suavis erga omnes est, quoad status eorum permittit; Deum semper amplectitur brachiis fidei & fiduciæ plenissimis, & hoc ipso tantum humanitatis eius recipit, ut in ea quasi absorbeat, quidquid ipsi intus vel extus ingratum & aduersum accidit; suam ipsius quidem

dem fragilitatem & imbecillitatem animaduertit, neque vero inde seruilis timoris cruciatu angitur, quia sine intermissu sese lauat *suasque vestes*, cum omni animi intentione, *dealbat* (Apoc. VII, 14.) in aperto fonte sanguinis Iesu Christi; sicut & oculos suos per fidem in innocentia agnelli Dei perluit.

HINC vt in omnes, qui Christi sunt, codem animo affecta est, quod ad sincerum amorem attinet, ita inadfectata eius humanitas Christique comitas, quæ in ipsa est, sese prodit erga omnes, & maxima quidem erga infirmiores, quibus etiam præcipue ex omni parte parcit; quemadmodum ipsa natura infirmiora membra maiore honore stipat, & ad vtendum in infantes humanitate pronissima est.

MANET in æquabilitate, vt multis nihil roboris acquirere videatur, & ramen semper proficit, & ex animi confirmatione in interna æquabilitate, siue diuina pace, profectus suos in Christo animaduertit.

LIBRI scripturæ sacræ diuinitus inspirati, qui fundamentum apostolorum & prophetarum, vbi lapis angularis ipse Christus est, nobis indicant, (Eph. II, 20.) sunt id, super quod ab initio fundata est & aedificata; huic normæ insit nec ei apponit quidquam, sed ad eam omnia examinat & probat, nec aliquid admittit, nisi quod cum ea certo scit congruere, vt se in fundamentis, in quibus *nomina duodecim apostolorum agni* sunt,

H 2

(Apoc.

(Apoc. XXI, 14.) non in alieno fundamento , ædificatam esse , exploratum habeat.

Hvic simplicitati sacra scriptura indies sapit dulcius & plus plusque succi adfert atque alimenti ; & in tantum alii libri ei placent , in quantum in diuina sacræ scripturæ simplicitate manent , & super idem fundamentum , vbi Christus , quomodo audiuiimus , lapis angularis est , ædificant . Nescit autem huic vel isti homini , aut his vel istis libris temere & pertinaciter adhærescere . *Vnus enim eius doctor est , CHRISTVS* (Matth. XXIII, 10.) & firmior sermo propheticus est , in quem intenta est ; & quo clarius ei dies illucescit & lucifer oritur in corde , (2 Petr. I, 19.) eo maiori in pretio eum habet .

IUSTITIAM , in qua coram Deo consistat , haud nouit aliam præter iustitiam fidei ex ipsis gratia per redēctionem , quæ facta est in Christo Iesu , quippe quem , non aliud ullum , proposuit Deus ἵλασάπιον placamentum , per fidem in eius sanguine . (Rom. III, 24. 25.) Hinc se non nisi per Domini nostri Iesu Christi gratiam seruari credit . (A&t. XV, II.) Scit , se non perituram sed vitam obtenturam sempiternam ; in uirginitate enim Dei filii nomen credit (Io. III, 16. 17.) & quum Filiū Dei habeat , vitam habet , quemadmodum nullus habet vitam , qui Filium Dei non habet , (1 Io. V, 12.) Scit , se visuram Dei gloriam , quia credit . (Io. XII, 40.)

CAETERVM in externis rebus sese gerit ut reli-

reliqui, ut nihil singulare habere videatur, quam quod a peccatis sibi caueat, sed cum aliis omnia habere communia, non tantum in iis, quæ ad viram communem, sed quæ ad christianismi etiam culturam spestant. Ita in omnibus rebus integra & recta est, (Iob. I. 1. II. 3. Psalm. XXV, 21. Io. I, 47.) orat, cantat, legit & audit verbum Dei, de eo opportune & reuerenter ad aliorum ædificationem loquitur, & quidquid ad infirmorum emendationem & confirmationem vere facit, id ea animi æquitate obseruat, ut nihil infra se ducat.

QUEMADMODVM enim agnus Dei *sæctus est* *similis nobis & habitu inuenitus ut nos* (Phil. II, 8.) ita fit quoque hæc christiana *simplicitas*; & in hoc ipso contemnui exposita est, sicut & agnus Dei a multis contemnebatur; contra autem cara & accepta est in oculis eius, cuius indolem refert; & ut nihil spernit, quod a domino suo proficitur, vel ad eum remittit, aut certe bénificio sapientiæ, quæ in *simplicitate* maxima est, ad bonum vsum dirigi potest & conuerti, ita nihil in hisce omnibus inuenit, quod absolute contemnere debeat; sed omnia in integritate sua & innocentia accipit instar infantis; tenebras non convertit in lucem, nec lucem in tenebras; omnia esse finit, sicut sunt, & in veri amoris centro se se tener, a quo se dimoueri non patitur, & tamen ad *imbecillimum* quemque se demittit, cui *offendiculo* esse (I Cor. VIII, 9.) numquam rem leuem

H 3

sed

sed momenti maximi dicit, ita ut non *exsecratio*, quam in lege ei adiudicat Dominus, sed simplex animi suauitas ipsum doceat, *caco etiam nihil impedimenti* in via apponere, ad quod impingat. (Leuit. XIX, 14.)

IDEO flexibilis quoque est & facilis, omnibus que obsequiosa, non tamen aduersus Deum sed sub Deo.

IGNOTA ei est singularis sanctitas, via sublimior & fides firma, quæ non curet infirmos, siue offendantur siue non offendantur, & quæ licentiam det vel minimo gradu lædendi caritatem. Hæc enim *simplicitatis* quasi pupilla est, quæ statim læditur, si vel leuissime contrectetur.

IN eo manet, in quo vocata est, in hoc ambulat fidemque exercet suam; si res difficulter succedat, ad eum statim configere didicit, qui corroborare ipsam potest, maxime in patientia, propria illa & genuina fidei filia, vnde hæc ipsa in sacris litteris fidei nomine insignitur.

IN se ipsa, hoc est, in *simplicitate*, quæ est in Christo (2 Cor. XI, 3.) cognoscit, in disciplina domini se perseverare, in eoque ipso, in quo vota sit, voluntati illius parere oportere; non se servit circumferri ab hominibus, (Eph. IV, 14.) in suas ipsam vias pertrahere cupientibus, sed animo in suauissimo Christi sinu requiescit, & placida fiducia in Christum nec ad dextram nec ad sinistram longius euagari eam finit.

PAVPERTAS spiritus intra iustos eam cancellos

Ios continet omnesque diuinis dotes in ea vero visui attemperat. Hæc itidem a Sarana eam tuerit, ne sibi in luce cognitionis vel sublimiori via placeat & blandiatur, eamque in recto semper tramite tenet, ubi fides ad dextram, caritas autem ad sinistram, vel caritas ad dextram, fides autem ad sinistram est, prout videlicet rebus exigentibus vel fides vel caritas praesto sit, oportet.

IMBECILLIORES cum ea familiariter viuunt, & firmiores rāmen libenter ad eius se se applicant societatem.

VR summatim dicam, *simplicitas* est, & nisi esset *simplicitas*, nec Deo placeret nec probata esset hominibus; quum autem sit *simplicitas*, a Christo amat, & quotquot cum ea constanter faciunt, eos Dominus non solum ab omni malo sed ab omni etiam mali specie tuetur. (Psal. CXVI, 6.)

MENS illius & mens Christi vna mens est. Ideo nulli mortalium adhærescit, sed omnes mortales extra ipsam sunt, Christus autem per fidem in corde illius habitat.

OMNES autem homines caritate partium studio aliena complectitur, & in communione spiritus Iesu Christi puro, innoxio & immaculato amore propendet in omnes, inimicos etiam; tametsi hi ipsi per inimicitiam impediunt, quo minus ex incorrupto eius amore aliquid capiant utilitatibus. Quod si caro hac in re ipsi aduersa-

tur, preces ad Deum fundit, atque ita in istum amorem sese denuo colligit eiusque in arce in posterum tanto studiosius sese tueri adlaborat.

HAEC est, Amici in Domino dilectissimi, vere christiana *simplicitas*. In hac ipsa Dominum orabam, ubi Vos per litteras, quantum in me situm esset, ædificare animum induxeram, neque tamen noram, quæ scriberem. Nihil vero mihi datum est aliud, quam hoc, & prout in *simplicitate mentis* scribenti mihi succurrat, ita vobis scripsi. Spero autem, dummodo *simplice* mentis oculo legeritis, fore, ut ad maiorem adhuc veræ & diuinæ *simplicitati* operam dandam mecum excitemini. Etenim hæc omnia quidem, quæ quærit, iam habet in Christo, qui *ei factus est a Deo sapientia iustitiaque & sanctificatio & redemptio* (1 Cor. I, 30.) semper tamen aliquid in se deprehendit, quod ab *simplicitate* deflectat, quam sibi perpetuo adhærentem imperfectionem non aliter deponit, quam in ipsa *simplicitate*, quæ *est in Christo*, dummodo in ea perseveret. Ouius humanos plenosque amoris oculos in Vos, vestros autem columbina simplicitate præditos oculos in Ipsum (Matth. VI, 22, X, 16. Cantic. I, 15. IV, 1.) numquam non intentos esse cupio. Boni consulite, quæso, hanc, qua in his litteris versus sum, *simplicitatem*; verumtamen scio, Vos eam boni esse consulturos. Valete in Domino. Halis d. xxv. Octobr. c. 1500ccxiii.

A. H. F.

SANCTA



SANCTA ET TUTA VIA FIDEI
 VERI CHRISTIANI,
 IN FORMA CONFESSIONIS
 DESCRIPTA.

HAEC est via fidei, in qua viuo, veritas, quam ex sacra scriptura didici & quæ per spiritum sanctum in animo meo obsignata est: Hi cancelli sunt, intra quos curro, ut ab omnibus auiis seruatus, præmium vitæ apprehendam.

AGNOSCO me esse vernum miserum ac fætidum, qui labe sua originali & peccatis actualibus Dei indignationem atque iram, mortem naturalem & perniciem æternam commeruit.

FILIVS autem Dei, Christus Iesu, se ipsum pro me tradidit, suoque me sanguine Patri suo reconciliauit, ut peccata mea mihi non imputeret Deus, habeat autem mihi pro iustitia, quod credam in nomen Filii sui unigeniti.

PER hanc fidem vere iustificatus sum, eaque cor meum repleuit Spiritus Sanctus.

IN hac mei iustificatione pacem obtinui cum Deo, filius Dei sum, lætus acquiesco in ipsius gratia, certoque scio, me numquam visurum ne gustaturum mortem, sed vitam habiturum semipaternam, & iam tum ex morte transisse ad vitam.

POSTEAQVAM Deus ira me recepit in gratiam per fidem in Iesum filium suum, non alio

tempore iustificatus, alio tempore minus iustificatus sum; sed constanter & perpetuo gratia Dei gaudeo & testimonium adoptionis in corde meo gerō per Spiritum sanctum.

NON equidem me sine erratis & næuis esse existimo; immo scio, eorum numerum iniri non posse, quæ quotidie ob oculos mihi proponit Deus, & occultorum maiorem adhuc esse multitudinem, firmiter persuasus sum: Quia autem in Christo sum & Christus in me est, ideo ista errata & næui mihi non imputantur, sed Deus eos tolerat ac dissimulat, quemadmodum pater in dilecto suo filio.

NEQUE vero gratia ipsius me securum reddit, sed quotidie excitat, ut in mentis meæ spiritu magis magisque me rehouem.

DEVS enim, qui omne bonum in me operatur, filiali timore animum meum circummu-
niuit veroque tremore ad sanctissimam suam maiestatem, qui non permittit, ut falsa fictaque gratiæ fiducia peccem.

IPSE autem me expurgat veluti palmitem, ut plus plusque fructus feram.

VERE purus sum beneficio verbi, quod Christus loquutus est & cui fidem tribui. Hoc non est imaginarium quid, nec falsa imputatio: Christus me vere dilexit & a peccatis me meis lauit sanguine suo. Salus mea vere est in peccatorum remissione.

DEVS misericordia meæ mihi sensum dedit largi-
-mos

tus.

SANCTA

tusque est gratiam, ut naturalem *aduocatam* agnoverim; quo facto suam mihi misericordiam tribuit fidemque in corde meo ipse operatus est.

QVAB hoc modo vidi & audiui, & spirituali experientia usque didici, exploratoria habeo, quam quae corporis mei oculi cernunt, aures audiunt, manus contrectant.

*D*EVS ipse me docuit naturam a gratia, Iucem a tenebris, imaginationem a re ipsa distinguere.

*D*EVS autem non solum fidelis est, ut nobis det veniam peccatorum, sed iustus etiam est, ut nos mundet ab omni iniquitate.

*H*INC peccata & vitia mea ei confiteor, ab eiusque magis atque magis mundari cupio.

*Q*UOD IPSVM ita fit, ut aduersus peccatum decertem & pugnem; non tamen viribus propriis sed per Spiritum Sanctum, qui in me habitat & operatur.

*I*N fide in Iesum mihi principium, medium & finis est.

*D*VM a mea ipsius operatione vaco & agnoso, me ex me ipso nihil posse nisi peccare, nec per me ipsum proprius ad Deum ipsiusque lucem posse accedere; pura autem Dei gratia nitor, & agnum Dei peccata mea portantem intueor; eiusque in sanguine ad Patrem adeo: noua virtus in animo meo gignitur, ut fidem velut caelestem lucem & ignem in animo meo persentiscam, a morem Christi gustem & nouus homo velut arbor

bor bona efflorescat, suauem odorem spiret gratosque Deo & hominibus fructus ferat.

NON alia est via, qua iustificatus sum, nec rursus alia, qua sanctificari cupio, sed una sola via est, Christus, qui est via, veritas & vita.

QVEMADMODVM nulla re nitor, quando peccatorum rogo veniam, ita ipso solo nitor, ad eiusque gratiam & virtutem pure ac vnice me converto, quando fide, caritate ac spe corroborari cupio.

IMMO nihil mihi opus est, quam ut in accepta gratia & mentis nouitate, quam mihi donavit Filius Dei, (qua verum illum agnoscere & in vero esse desidero) permaneam, nec inde deflecam; ita opus Dei in me perficitur: neque enim Deus ad opus suum perficiendum auxilii mei indigeret.

DVMODO ab ipso me præparari sino instar foetus in utero matris, nec operationi eius resisto; omnia in me efficit, quæ ipsi placeant.

NEQUE vero me vult esse omisso & desidioso animo, vel pacem & quietem querere in natura. Nam hoc ipso vel imprudens impedirem, quo minus ipse in me operaretur.

VIVVS ipsius Spiritus semper & sine intercapedine in me vult operari; cuius fluius quicunque non sinit fluere perpetuo, operationi illius se non resistere, dicere nequit.

VERUMTAMEN operatione sua defatigat neminem: blandus enim est & vox eius tacita & exilis,

exilis, ipsiusque virtute anima, quæ iustificationem sui cognoscit in Agni sanguine, fidei alas & amoris in sublime leuare non difficulter potest.

HUMILIBVS & submissis fauet: omnis enim Spiritus gratia in humiles animo, velut in vallem amnis, sese diffundit.

VERA autem humilitas fundamentum suum ac radicem in iustificatione, quæ sit gratuito, habet.

QVO AD igitur homo nihil boni in se cognoscit, & tamen omnia in Christo inuenit: animus cœlesti pace quasi æstuat, diuinitus reficitur atque corroboratur. Simulac animus se extollit, nec salutem suam pure quærit & inuenit in peccatorum remissione, ad auia plena inquietudinis & fluctuationis desflectit.

AT ENIM VERO dantur etiam horæ, quium Deus hominem tentat & humiliat. Et ut homini penetralia cordis sui manifesta fiant, multas subire debet temptationes, tametsi a vera & recta via non discedit.

QVAM facile autem fieri potest, vt homo ab hac tam arcta via aberret: Quam facile sese in animum aliquid insinuat, quod homo non illico aduertat, & quod eum ab integra mentis simplicitate auocet, vt melius se rem gestorum existimet, & tamen imprudens ab euangelio & lege declinat.

EVANGELIVM enim angelicam habet simplicitatem, hominemque blandum facit ac suauem.

vem erga omnes mortales. Magna est claritas, lux pellucens, purus ac limpidus fluuius pacis, vacatio ab operatione propria, fruitio Dei eiusque beatitatis.

BEATVS ille, qui a meta se sua dimoueri non patitur: quod fieri facile potest, si quis non unice Christum intueatur sed aliorum hominum exempla; & si quis magna & sublimia adfester & ante diem ætate noui hominis adultra esse gestiar.

NEMO sua sollicitudine potest vnum cubitum addere sue staturæ. Simili modo res sese habet cum homine interno.

NATVRA suam amat viam, nec videt, quæ ratione alia ad perfectionem pertingat, quam si aliquid fieri adlaboret; Dei autem via prorsus alia est. Ille enim destruit quæ sunt, ut ipse sit omnia in omnibus.

ATQVE hæc omnia in hoc uno comprehenduntur: **QVI CREDIT IN FILIVM DEI, HABET VITAM AETERNAM.**

DOMINE IESV, *Deducat me Spiritus tuus bonis per planam terram!*

S. D. G.



Im 961

S

25



AVGVSTI HERMANNI

FRANCKII,

S. THEOL. QVONDAM PROFESSORIS ORD.
PAST. VLRICIANI, ET GYMNASII
SCHOLARCHAE

MEDITATIO

GRATIA
VERITATE

AD DVCTVM
S. SCRIPTVRÆ
OLIM GERMANICE EDITA
IAM LATINE VERSA,

IO. HENRICO GRISCHOVIO,
HALBERSTADIENSI.



HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis & impensis Orphanotrophoi c̄is Dec. XXXIX.